illis verbis: *Si lapsis ad suum ordinem revertendi licentia concedatur, vigor Canonicæ disciplinæ procuddubio frangitur, dum pro reversionis spe pravæ actionis desideria quisque accipere non formidat. Illud igitur præ omnibus studete, ut lapsos in sacrum ordinem nullius vobis supplicatio aliquo modo revocare studeat, ne hujusmodi non statuta, sed temporaliter dilata credatur vindicta.* Ex quibus verbis manifeste probatur, ordine motum, ac communione privatum, etiam post pœnitentiam, & satisfactionem restituendum non esse. Pro cujus difficultatis solutione dicendum est, in eo textu non agi de excommunicatione lapsis inflicta, sed potius de depositione ob adulterium, vel aliud simile scelus facta; tunc enim etiam post pœnitentiam non restituitur, quia depositio est perpetua pœna, nec in modum censuræ infligitur, quare necessario perpetua esse debet.

14 *Explicantur varii textus.* Secundo præsenti assertioni obstat text. *in can.* 11. *Concilii Tolet.* 11. in illis verbis: *Quod si ingenuorum personæ his erroribus fuerint implicatæ, & perpetuæ excommunicationis sententia ferientur, & arctiori exilio ulciscentur.* Ex quibus expresse deducitur, communione Ecclesiastica pulsum & privatum, in perpetuum excommunicatum esse, nec amplius communioni esse restituendum. Igitur non recte in præsenti docetur, communione ecclesiastica privatum post satisfactionem esse communioni restituendum. Pro cujus Canonis expositione sciendum est, olim ob graviora scelera plerumque fideles privari communione Ecclesiæ, & fidelium in perpetuum, idest pro toto vitæ tempore, usque ad mortem; imo & pro gravissimis delictis: nec in fine illis communio concedebatur, ut passim cavetur in Conc. Illiber. & probavi late in ejus Canone primo, quibus in casibus patratores similium scelerum communione Eucharistica, & fidelium in perpetuum privabantur, ut constat *ex c. quia Sacerdotes*, 11. *q.* 1. *c. si quis* 4. 2. *q.* 3. Concil. Cæsaraug. 1. *can.* 4. ibi: *Item legit vigesimo & uno die, quo a 16. Kal. Jan. usque in diem Epiphaniæ, quæ est 8. idus Januar. continuis diebus nulli liceat de Ecclesia se absentare, nec latere in domibus, nec secedere ad villam, nec montes petere, nec nudis pedibus incedere, sed concurrere ad Ecclesiam: quod qui non observaverit, his decretis anath. sit in perpetuum.* Conc. Paris. *can.* 2. Paris. *can.* 5. *c. ego Berengarius, de consecr. d.* 2. Troslejan. *can.* 13. quo in sensu excommunicatio perpetua imponitur *in d. can.* 11. Conc. Tolet. II. in aliis vero levioribus criminibus privatio communionis inflicta, intelligitur de temporali, donec reus satisfecerit.

15 *Intelligitur c. ex parte 23. de v. s.* Tandem supradictæ assertioni obstat textus *in c. ex p.* 23. *de v. s.* ubi cum proponatur quemdam fuisse excommunicatum propter injuriam Capitulo Carnotensis Ecclesiæ illatam, asseritur non posse eum absolvi a tali excommunicatione ante satisfactionem, ob speciale privilegium Capitulo Carnotensi concessum. Igitur quia jure communi attento, excommunicatus etiam ante satisfactionem absolvi potest, siquidem frustra precibus impetraretur a Capitulo Carnotensi, quod illi communi jure competebat, argumento textus *in l. unic. C. de thesaur. l.* 10. *c. in his* 30. *de privil. c. si Papa, eodem tit. l.* 6. Agnovit difficultatem Glossa ibi: *v. Contumacia*, & ut illi satisfaciat, asserit privilegium in illius textus specie fuisse concessum ad cautelam, quia strictius solet observari, quod specialiter cavetur, quam quod generaliter disponitur, *c. quamquam*, 23. *d. c. si adversus, de hæret.* & aliquando specialiter concedunt, quæ jure communi competunt, *c. in caussis: de procur. c. etsi Christus, in fine, de jurejur. c. permittimus, de sent. excom. c. quod in te, de pœnit. c. satis, in fine*, 24. *q.* 2. *c. admonere* 33. *q.* 3. Unde licet jure communi quilibet excommunicatus post satisfactionem esset absolvendus, tamen privilegium speciale ad cautelam Capitulo Carnotensi concessum fuit, ut excommunicatus ob injuriam illatam absolvi non posset, nisi post satisfactionem. Sed licet hæc Glossæ solutio sustineri posset, verius dicendum est, privilegium de quo in eo textu, duas partes continere: in priori cavebatur, ut Capitulum Carnotense possit excommunicare, aut interdicto subjicere malefactores pro injuria sibi illata, in qua parte gratiam continebat, siquidem Capitulum Ecclesiæ Cathedralis potestatem ferendi excommunicationem, aut similes censuras non habet, *c. quæsivit, de his quæ fiunt a majori parte*, nisi ratione consuetudinis, *c. irrefragabili, §. ceterum, de off. ordin.* aut Sede vacante, *c. cum olim, de major. & obed. c. unico, eod. tit. in* 6. *c. Albericus, de testibus, c. illa, ne Sede vacante aliq.* In secunda concedebatur, quod nemo auderet absolvere excommunicatum pro injuria illata Capitulo Carnotensi, nisi præmissa satisfactione; qua in parte consonum erat prædictum privilegium juri communi, nec gratiam specialem continebat, unde virtute juris communis ex præsenti textu, & similibus excommunicatus absolvi poterat.

C A P U T X I I.

a Honorius III. *Episcopo*, & b *Cantori* c *Cabilonensi*, & *Abbati de* d *Firmitate*, *Cabilonensis diœcesis*.

EX parte venerabilis Fratris nostri Episcopi *e* Eduensis fuit propositum coram nobis, quod Canonici Eduenses propriis commodis inhiantes, præbendarum numerum ab antiquo in Ecclesia Edunensi statutum, licet non sint ejus diminuti reditus, restrinxerunt, ut sic in temporalibus magis abundent, dum ea, de quibus valet sustentari Canonicorum numerus consuetus, tali prætextu nituntur in augmentum convertere præbendarum: & in facti sui tuitionem super hoc confirmationis a nobis dicuntur litteras impetrasse in communi forma. Nolentes igitur divini Numinis cultum hujusmodi occasione in Ecclesia ipsa diminui, sed potius augmentari, discretioni vestræ mandamus, quatenus si præmissis veritas suffragatur, antiquum numerum facientes auctoritate nostra servari, præbendas quas a tempore ultimi statuti inveneritis, in Ecclesia memorata vacantes, non obstante aliqua constitutione super hoc a Canonicis ipsis facta, vel confirmatione hujus a nobis ab eisdem *f* obtenta, personis idoneis cum consilio ejusdem Episcopi, sublato appellationis obstaculo conferatis.

N O T Æ.

1 *Honorii III. Gesta.* a HOnorius III.) Honorius antea Centius Sabellus, patria Romanus, creatus fuit Pontifex die 18. Julii anno 1216. & floruit usque ad annum 1227. ut referunt Spondanus *in continuat. Baronii*, Coriolanus in *Breviario, d. anno*, & alii Scriptores de vitis Pontificum. Inter alia, quæ illustrem illius Pontificatum faciunt, potissima sunt confirmatio præclarissimarum Religionum SS. Dominici & Francisci, & Coronatio Federici Imperatoris II. Fecit suarum Decretalium quintam compilationem, quam diu desideratam a perdoctis viris, edidit Innoc. Cironius, ex qua collectione aliquæ decisiones compilatæ fuerunt a Raymundo in hac sexta compilatione, inter quas primum in ordine obtinet locum præsens decretalis.

2 *Cantor quis?* b *Cantori.*) Id est, Præsuli chori canentium; qui enim simili choro præest, Cantor, Præcentor, seu Protopsaltes appellatur, *c. cleros*, 21. *d.* & in Ecclesia Cabilonensi sunt septem Dignitates, inter quas Cantor recensetur. Nec novum est, Romanum Pontificem caussarum cognitionem committere Cantori, ut constat ex *c. dudum, el secundo, de elect.* ibi: *Parisiensi Succentori*, c. *dilectus, de appel.* ibi: *Cantori Trecensi, c. significavit, eod. tit.* ibi: *Præcentori Herefordiensi c. cum jam dudum, de præb.* ibi: *Cantori Tornacensi c.* 3. *de censibus*, ibi: *Stephano Cantori, c.* 2. *de donat. inter*, ibi: *Cantori Lexov. c. Abbate, de v. s.* ibi: *Cantori Atrebatensi, c. cum pro caussa, de sentent.* ibi: *Præcentori Lugdunensi*. De dignitate Cantoris plura Valenzuela *consil.* 33. Barbos. *de Canonicis, c.* 9.

3 *Cabilonis descriptio* c *Cabilonensi.*) Cabilo, seu Cabilonus, est civitas Galliæ ad Araris ripam, sita in prima Lugdun. Provincia, cujus meminerunt Cæsar *in commentar. lib.* 7. Strabo *l.* 5. Ammianus Marcellin. *l.* 5. Sedes quondam fuit Regia Principum Burgundiæ, ut referunt F. Sarmantani *tom.* 2. *Galliæ Christ. fol.* 437. Habet Ecclesiam Cathedralem D. Vincentio dicatam, cujus mentio fit *in c.* 12. *de rescr. c.* 27. *de sent. excomm. c. in nostra, de procurat.* Plura de ejus origine congesserunt Chenu *in chron. Ecclesiæ Cabil.* Savarus *in notis ad Sidonium, l.* 2. *ep.* 25. Ejus Præsuli Duranno dicto, qui eam Ecclesiam rexit ex anno 1213. usque ad annum 1215. missa est præsens epistola.

4 d *De Firmitate.*) Firmitas prima Cistercii filia, monasterium est in diœcesi Cabilonensi constructum anno 1113. cujus exordium, & nominis rationem reddunt tabulæ ipsius monasterii, ibi: *Fundata est Firmitas primogenita filia domus Cistercii, & pulchræ significationis suæ titulo firmitatem, & stabilitatem Ordinis præsignavit.* Plura de eo monasterio retulit Manrique *annalium Cisterc. an.* 1113. *c.* 3. hujus monasterii Abbati Hugoni rescribit Honorius *in præsenti*.

5 *Æduensis urbis notitia.* e *Æduensis.*) Ædua, quam alii Augustodunum appellant, celebris urbs est Galliæ, cujus meminerunt Cæsar *l.* 6. *de bello Gallico*, Mela *l.* 3. *de situ orbis, cap.* 2. Tacitus *l.* 11. *annalium*, Guillielm. Brito *l.* 1. *Philip.* 2.

Ædua quos mittit urbs antiquissima plena.

Habet Ecclesiam Cathedralem D. Lazaro dicatam; cujus originem, & progressum referunt Auctores Galliæ Christianæ *t.* 2. *fol.* 47. cujus Præsul Galterus secundum præsentem quæstionem Honorio III. proposuit.

6 f *Obtenta.*) Confirmatio ista facta fuit in forma communi, ut ex ipsis verbis textus constat; quæ confirmatio nihil novum tribuit, *c. cum dilecta, §. nos igitur, de confirmatione utili, c. quia diversitatem, de concessione prebendæ, c. ex parte, de privilegiis, c. dudum* 39. *de decim.* nec talis confirmatio tribuit jus novum, *c. examinatæ, c. fin. de confirm. utili*.

COMMENTARIUM.

7 *Conclusio refertur, & probatur.* EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Canonici non possunt proprio statuto minuere numerum præbendarum, nisi tale statutum in forma speciali confirmetur a Rom. Pontifice.* Probant eam textus *in c. cum M. hoc tit. c. consuetudinis* 9. *de consult. c. quoniam, de vita, & honest. cler. c. dilecto, de præb.*

præb. c. fin. de v. s. novella 3. & 6. Justinian. *c.* 8. 16. *§. sed neque*. Illustrant ultra congestos a Barbosa in præsenti Petr. Greg. Martin. Huran. & Fagn. *in repet. ad hunc text.* idem Petr. Greg. *de benef. c.* 19. Nicol. Garzia *eod. tr. p.* 12. *c.* 1. Lotherius *de re benef. l.* 1. *q.* 14. Lelius Cæcus *de repub. Christiana, tit. de Canonicis, c.* 24. Azor *par.* 2. *inst. l.* 3. *c.* 11. *q.* 10. Moneta *de commut. c.* 12. *n.* 113. *& de distrib. p.* 1. *q.* 5. *n.* 27. Lælius Mancinus *genialium, c.* 257. Barbosa *de Canonicis c.* 3. *& de potest. Episcopi* 3. *p. alleg.* 87.

8 *Impugnatur tradita assertio.* Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo: Capitulum Ecclesiæ Cathedralis non solum Sede vacante, verum & superstite Episcopo statuta regimini Ecclesiæ congrua, & utilia facere potest, *c. cum dilectus, de clericis non resid. d. c. cum Ecclesia, de elect. c.* 1. *hoc tit. l.* 6. *c.* 2. *de v. s. eod. lib.* Probant Suar. *de legib. l.* 4. *c.* 6. *n.* 34. Tapia *tom.* 1. *caten. moral. l.* 4. *q.* 8. *ar.* 7. igitur potest facere statuta, quibus minuatur numerus præbendarum. Augetur primo hæc dubitandi ratio ex eo; nam quod operatur propositum in proposito, idem operatur oppositum in opposito, *l. ult. in fine, ff. de legat.* 3. *l. etsi contra, in fin. ff. de vulgari*; quia contrariorum eadem est ratio, & disciplina, *l. penul. §. fin. ff. qui satisdare*: sed Canonici possunt statutum facere, ut major sit Canonicorum numerus, *c. cum M. hoc tit.* Igitur poterunt statuto disponere, ut restringatur ipse numerus. Augetur deinde hæc difficultas, nam multitudine ministrorum non augetur cultus divinus, sed potius paucitate Deus honoratur, *c. legimus* 24. 93. *d.* ibi: *Diaconos paucitas honorabiles, presbyteros turba contemptibiles facit*: & multi sacerdotes nomine non laudantur, sed pauci re, *c. multi, fin.* 40. *d.* Ergo non solum valide, verum etiam rationabiliter Canonici possunt Canonicorum multitudinem proprio statuto restringere.

Adhuc tamen vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, numerum præbendarum in aliquibus Ecclesiis Cathedralibus non esse determinatum, nec certum, ut in Ecclesiis, de quibus *in c. ex par.* 10. *de concess. præb. c. vacante, c. dilecto, de præb.* in aliquibus autem esse numerum determinatum, sed absque ulla distinctione proventuum, ut *in c. fin. §. sin autem, de concess. præb. in* 6. *c. dilecto* 63. *de appel.* in aliisque non solum numerum esse determinatum, & præfixum, verum & proventus realiter esse distinctos, *c. litteras, de concess. præb. Clem. fin. de præb.* docet Moneta *de optione canon. c.* 2. *q.* 2. *n.* 16. *&* 17. Licet temporibus Ecclesiæ nascentis omnes Presbyteri in communem mensam advocarentur, & sub una matricula, seu pyctatio continerentur, quotidieque suas portiones, & sportulas acciperent, quæ dicebantur Canonicæ portiones. Ivo Carnot. *ep.* 219. ibi: *Deliberavi, ut darem illis dimidiam præposituram, ut fieret inde quotidianus panis, quamvis eorum annua præbenda eis sufficiens esse deberet.* Et ab hac præbenda Canonici præbendarii dicebantur, *c. sanctorum*, 70. *dist.* & Ecclesiæ, in quibus erant, præbendales: & quia nomina eorum ex pyctatio legebantur, portio illa vulgo *pitanza* dicitur: post divisionem tamen bonorum Ecclesiæ certi fuerunt assignati reditus beneficiis, & dignitatibus Ecclesiasticis, ut dicemus *ad tit. de preb. & dignit.*

9 *Præbendarum numerus certus.* Secundo sciendum est, quod si numerus Canonicorum incertus sit, sive certus, non tamen plures institui debent, quam commode ex reditibus ali possint, *c. cum M. hoc tit. c. quoniam, de vit. & honest. c.* 1. *c. author. de instit.* Trid. *sess.* 24. *de ref. c.* 15. novella 3. Justin. ubi Cujac. & deficientibus Ecclesiæ facultatibus, possunt Canonici simul cum Episcopo supprimere aliquas præbendas, ut inde debitis fructibus sustententur, *c. cum accessissent, hoc tit.* ne ad inopiam, & mendicitatem in opprobrium status Clericalis redigantur, *c. Diaconi*, 93. *dist.* Petr. Greg. *de benef. c.* 19. Barb. *d. c.* 3. *de Canonicis*. Alii vero non possunt restringere prædictum numerum, ut Vicarius Episcopi cum Capitulo Sede vacante, Garz. *de benef. p.* 12. *c.* 1. quod adeo verum est, ut etiamsi numerus Canonicorum confirmatus sit a Pontifice, nihilominus ex defectu redituum restringi poterit, ut resolvit Garz. *ubi sup.* sine diminutione vero fructuum, aut alia simili caussa nequeunt Canonici supprimere aliquam præbendam, ex nostro textu docent Barb. & Petrus Greg. *ubi sup.*

10 *Talis numerus restringi potest.* Ex quibus profluit vera decidendi ratio ad nostrum textum *in c. ex parte*, nam cum in Ecclesia Æduensi certus, & determinatus fuisset Canonicorum numerus; & reditus non fuissent diminuti, non potuerunt Canonici illum restringere, & coarctare, præcipue cum divinus cultus minueretur, qui diminui non debet, *c. ad hæc de præb.* & sic recte Honor. III. jubet prædictum statutum, etiam confirmatum a Sede Apost. in forma communi, irritari. Si vero ex justa caussa suppressa esset aliqua dignitas, vel præbenda, & confirmatio Pontificis in forma speciali sequeretur, tale statutum restrictionis, seu suppressionis observandum esset, ut *c. cum accessissent*, docetur.

11 *Traditur ratio decidendi.* Nec obstat difficultas supra adducta; nam licet Capitulum Ecclesiæ Cathedralis possit statuta facere ad suum regimen, si hæc sint juri Canonico contraria, minime condere valet: unde cum restringere numerum præbendarum, & sic cultum divinum minuere, juri nostro contrarium, & sic cultum divinum minuere, juri nostro contrarium sit, ideo statuta, per quæ restringuntur præbendæ, seu Canonicatus, invalida sunt. Nec argumentum primum refragatur; nam Canonici possunt augere numerum præbendarum, cum Ecclesiæ facultates suppetunt; restringere autem non possunt, cum divinus cultus augeri debeat, diminui autem non valeat: quod adeo verum est, ut etsi numerum confirmatus sit a Pontifice, nihilominus possit augeri, quia confirmatio a Pontifice facta præsumitur favore Canonicorum, & sic illi renuntiare possunt, numerum augendo. Nec etiam aliud argument. obstat; nam illud principium procedit, quando multitudo est tantum nomine, non re; at semper præsumitur Canonicos magnis virtutibus pollere, & sic eorum assidua residentia cultum divinum magnopere augeri.

C A P U T X I I I.

a Gregorius IX. *Archipresbytero* b *sanctæ Mariæ Majoris* c *de Urbe*.

QUoniam constitutio Apostolicæ Sedis omnes adstringit, & nihil debet obscurum, vel ambiguum continere: Declaramus *d* constitutionem, quam nuper super præferendis in perceptione portionis majoribus, & consuetis servitiis a minoribus exhibendis, edidimus, non ad præterita, sed ad futura tantum extendi. Cum leges, & constitutiones futuris certum sit dare formam negotiis, non ad præterita facta trahi, nisi nominatim in eis de præteritis caveatur.

N O T Æ.

1 *Greg. IX. tempus.* a GRegorius.) Antea Hugolin. dictus, natione Hernius, patria Anagninus, evectus ad Pontificatus culmen anno 1227. floruit usque ad annum 1241. ut referunt Spondanus, & Coriolanus in eisdem annis: & cum ejus auctoritate hoc volumen Decretalium prodiisset, ut in apparatu dixi, & de rebus gestis ab ipso Gregor. agentes, referunt Gregorius Polydorus *in Gregoriano*, Gerard. Vossius *de rebus Siculis*, Jacobus a Sancto Carolo *in Bibliotheca Pontif. l.* 1. *in ipso Gregorio*; ideo ultimo loco sub quolibet titulo Gregorii IX. constitutiones, utpote posteriores tempore, ut sic series temporum servetur, compilantur.

2 b *Archipresbytero.*) De Archipresbytero, & ejus dignitate agam *tit. de off. Archipresbyt.*

3 c *De Urbe.*) Sunt enim in urbe Romana plures Ecclesiæ Divæ Mariæ dicatæ sub diversis titulis; alia dicitur Ecclesia S. Mariæ in Via Lata, de qua *in c. Ecclesia, hoc tit. c. Ecclesia, ut lite pend.* Ecclesia S. Mariæ in Porticu; S. Maria in Cosmedin, S. Maria in Dominica, S. Maria trans Tyberim, & aliæ, de quibus agunt Victor. *de Urbis Romæ regionibus*, Fr. Alphons. Munnoz *de rebus mirabilibus Romæ*: ex quibus Cardinales, tam Presbyteri, quam Diaconi, titulos suos acceperunt, Germonius *de indultis Card. §. tituli*. Inter eas præcipua est Ecclesia S. Mariæ Majoris de Urbe, erecta temporibus Liberii Pontificis, præcedente miraculo Nivium, quod Ecclesia die 5. Augusti celebrat. Illa autem Ecclesia est una ex quinque Ecclesiis Patriarchalibus existentibus in Urbe, habetque Archipresbiterum, & certum numerum Canonicorum: imo frequenter unus ex Cardinalibus est Archipresbyter illius Ecclesiæ, Cohelius *in notitia Cardinalatus, c.* 5. & cum ad Archipresbyterum spectet Presbyterorum cura, ac regimen, *c.* 5. *de offic. Archipresbyteris*, & in hoc capite finali agetur de juribus Presbyterorum, & de prælatione inter eos servanda; idcirco hæc decretalis epistola mittitur Archipresbytero illius Ecclesiæ.

d *Constitutionem.*) Cum enim Gregor. IX. constitutionem edidisset, ut majoribus ordinibus insignitis in minoribus constituti obsequium, & obedientiam præstarent, de qua *in c. statuimus, de majorit. & obedient.* dubium ortum fuit, utrum ea constitutione tenerentur, qui jam illis temporibus sacris initiati erant Ordinibus, & in Canonicos admissi? Cui respondet Gregor. IX. quod cum lex nihil debeat continere ambiguum, præsenti decretali declarat tantum post prædictam constitutionem in Canonicos admissos comprehendi; quia lex tantum respicit futura, non præterita, ut probavi supra *in c.* 2. ubi hoc commentarium dedi.

TITU-

TITULUS III.

De Rescriptis.

CAPUT PRIMUM.

a Alexander III. *Senonensi* b *Archiepiscopo.*

SIcut Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum, disponente Domino, mater est, & *c* magistra; ita & nos, qui eidem Ecclesiæ, licet immeriti, divinæ dispositionis providentia præsidemus, prout Dominus nobis ministraverit, consultationibus respondere cogimur singulorum, & quæ videntur dubia, Apostolicæ circumspectionis providentia *d* declarare. Sane quæsitum est a nobis ex parte tua: Si alicujus causa delegatis judicibus, sublato remedio appellationis committitur, & litteris Apostolicis altera pars munita (quibus ei generaliter est indultum, ut libere sibi liceat appellare,) in vocem *e* appellationis proruperit, an ejus in eadem causa debeat appellationi deferri? Inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod ejus hac in parte appellatio non debet admitti, postquam est causa judicibus appellatione remota commissa, quia generale mandatum derogat speciali.

NOTÆ.

1 a *Alexander III.*) Rolanus antea dictus, natione Tascus, patria Senensis, qui cum esset Presbyter Card. tituli S. Marci, & Apost. Sedis Cancellarius, Rom. Pontifex electus fuit mense Septemb. an. 1159. Vir prudentissimus, omnibus virtutibus pollens, divinis, humanisque litteris valde instructus, quem D. Bernard. miris extollit laudibus, & plura de ejus vita, & gestis referunt Baron. *an.* 1158. Cotiolan. *an.* 1156. Platina, & alii de vitis Pontificum, *in ejus vita*. Hujus Pontificis plura extant decreta in hoc volumine, quæ Raymundus tam ex prima, & secunda collectione transcripsit, quam ex Concil. Later. ipsius Pontificis ævo celebrato. Præsens decretum transcripsit ipse Raymund. *ex c.* 1. *hoc titulo* 1. *collect.* ex Conc. Later. seu ejus appendice, *p.* 10. *c.* 11. & *ex c.* 12. *de appell. in d.* 1. *collect.* sub quo rubro aptius collocari, non fine ratione putavit Ant. August. *in notis ad hunc text.* Alia pars hujus textus reperitur *in c. si vero* 8. *de jurejur.* Et quia plures decisiones in hoc volumine compilatæ, transcriptæ sunt ex dicta appendice ad Concil. Later. præmittendam duxi admonitionem, quam ad principium ipsius appendicis Lectori fecit Bartholomæus Laurens, cognomento vulgari *Pojen*, in hæc verba. (Synodus „ Later. sub Alex. III. habita, cum indice sibi præfixo, item„ que cum iis, quæ adjecta habet, ad quæ præfixus hic index „ speciatim respicit, sicut paulo post videbis, excerpta est e „ volumine pergamenico, non illo, cujus supra sub Alex. I. „ & Nicolao II. mentionem fecimus; sed alio, adoverso, ni„ hil præter ea, quæ hic sequuntur, aliud comprehente. Ideo„ que totum hoc integre, non divisum, exhibere placuit: „ quamquam pars ea, quæ hic prima asseritur, & in archetypo ita vocatur, seorsim ac specialiter ipsum tantummodo Later. Concil. videri potest, cum & archetypi titulus ea tantum in parte hoc præferat, nec omnia, quæ deinceps ex „ ordine sequuntur, Alex. III. sint, sed aliquorum etiam, qui „ post eum Apost. Sedi præfuerunt. Verum quia totus ille archetypi, de quo loquimur, Codex eorumdem prope characterum erat, & maxime, quia pars prima, secunda, tertia, „ & ceteræ deinceps cohærebant, & super omnia, quod Dom. „ Petr. Crab, ordinis S. Francisci de Observantia, amicus, ac „ fedulus archetyporum, quibus in editione Conciliorum A. „ D. 1551. usi fuimus, procurator, istud nobis exemplar uni„ ce commendavit, omittere quidquam ex illo, præsertim, „ quod de textu, ut vocant, esset, nec voluimus, nec ausi „ sumus. Nam annotationum, quæ in archetypo ob marginis „ capacitatem, plurimæ sunt, non potuit in editione hac ob „ marginis exiguitatem passim haberi ratio. Ceterum quanto „ labore constiterit archetypi hujus, quod propter breviationes insuetas, ac nimias, non tam lectore, quam conjectore „ indiguit, transcriptio; quoniam neminem, nisi quem hoc „ ipsum, archetypon vivere contigerit, crediturum putamus, „ nullum hic verbum facimus; Deum tantum hoc nostræ, quidquid est, opellæ commendatum volentes) Et ad calcem ipsius „ appendicis, iterum per hæc verba admoneo lectorem. (Hæc „ sunt, quæ ex Archetypo illo, cujus supra mentio lectu adeo „ difficili, summo labore descripsimus. Quæ si cui grata, & utilia fuerint, primum gratias agat Deo, qui horum qualecumque „ exempla hucusque servavit: deinde F. Petro Crab, qui hoc ipsum, „ ut inter Concilia ederetur, procuravit: postremo & nobis, „ quos non piguit, quamquam non deerant, qui dehortarentur, „ & absterrerent, utilitatis publicæ gratia molestiæ tantum perferre, ut quæ antehac difficillime legi poterant, jam hujus lectu facilia redderentur. Ceterum si quibus in his locus aliquis „ intricatior, aut minus absolutus videtur, id noverint, difficultatem eam fibresse nobiscum communem. Neque enim archetypon ipsum adeo tersum fuit, quin & nos aliquoties hæsitare „ cogeremur. Maluimus autem, & te subinde nobiscum hærere, „ quam conjecisse, ac mutasse quid vis temere videri. Certe in „ editione hac postrema permultis locis mendæ sublatæ sunt opera „ F. Laurentii Surii, & plurima suæ integritati restituta.)

b *Archiepiscopo.*) Guillelmo videlicet, qui Theobaldi Comitis Dampaniæ filius, primo fuit Episcop. Carnotensis, postmodum Senonensis Archipræsul, anno 1169 & ab Alex. III. per Galliam Legatus missus fuit, cum illi adhæsisset adversus Pseudo-Pontifices, ut referunt Fr. Sarmathani *to.* 1. *Gallis*, *in Gallia*, *in Ecclesia Senon. n.* 68. Huic & aliis successoribus missæ sunt decretales relatæ *in c. sedes* 15. *hoc tit. c.* 1. *de postul. Prel. c. præterea* 5. *c. cum olim* 31. *de off. Ordinarii*, *c. causam* 11. *de probat. c. si vero* 8. *de jurejur.* & aliæ. De ipsa Senonensi Metropoli nonnulla adduxi sup. *in ci cum omne* 6. *de const.*

c *Magistra.*) Cap. fin. *de judiciis*, ibi: *Quia tamen omnium Ecclesiarum mater est eadem, & magistra.* Cap. *cuncta* 18. *qu.* 3. ibi: *Cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum Sedes B. Petri Apostoli jus habeat resolvendi, utpote quæ de omni Ecclesia jus habeat judicandi.* Concilium Florentin. sub Eugen. IV. pro Græcorum unione celebratum, ibi: *Definimus Sanctam Apostolicam Sedem, & Roman. Pontificem universi orbis tenere primatum, ipsumque Rom. Pontificem successorem esse Divi Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere.* Turrecremata *in sum. l.* 2. *c.* 36. Canus *de locis l.* 2. *cap.* 4. Bellar. *de Rom. Pontifice cap.* 22. plures Barbosa *in c.* 2. *de summ. Trinit. num.* 6. Fragoso *par.* 2. *de regim. Christ. Reip. l.* 1. *dist.* 1. §. 2. Theophilus Raynaud. *tom.* 10. *in corona aurea Rom. Pontificis*, & nos *in c. finali*, *de foro compet.*

d *Declarare.*) Consonant Petrus Damianus *opusc.* 7. *ad S. Leonem IX.* ibi: *Quoniam Apostolica Sedes omnium Ecclesiarum mater esse ex ipso veritatis ore cognoscitur, dignum est, ut si quid usquam dubitationis emerserit, quod ad animarum videatur pertinere negotium, ad ipsam, velut ad magistram, & quodammodo fontem cælestis sapientiæ recurratur.* Et *opusc.* 5. *in fin.* Petrus Cellensis *ep.* 1. *ad Alexand. Papam*, ibi: *In gravissimis, sicut olim ad Moysen, sic nunc, Pater venerande, ab omni Ecclesia Dei recurritur ad S. Petri, & vestram Sedem.* Hanc praxim consulendi Roman. Sedem in rebus arduis, & ambiguis, probant Canus *l.* 5. *de locis*, *c.* 7. M. Ant. Capella *disp. de Rom. Pont. c.* 2. *sect.* 7. Onuphrius *de Primatu S. Petri*, Bozius *l.* 5. *de signis Ecclesiæ*, *c.* 3. & *lib.* 18. *c.* 4. & 5. Bezovius *de Romano Pontifice*, *c.* 17. Theophilus *ubi supra fructu* 5. *per tot.* Concilium Chalced. *act.* 1. Anacletus *in epist.* Concil. Aquiliense *in ep. ad Gratr. Imper. totius orbis Romani apud Romam Eccl.* Theodoret. Tyrensis *epist.* 116.

e *Judicibus.*) Signanter dicit Alex. de delegatis, non de ordinariis judicibus; nam quoties Pontifex causam committit sub clausula, *Appellatione remota*, etsi committatur judici ordinario, ejus jurisdictio non excitatur, sed in delegatam convertitur, si modo in ea causa ponatur, in qua jure ordinario appellare licebat; tunc enim cum per hanc clausulam ab Ordinario appellatio inhibeatur, quia aliquid additur jurisdictioni ordinariæ, quod antea non habebat, mutatur, & fit delegata, ut argumento textus *in c. cum aliquibus*, *hoc tit. in* 6. *c. si quis* 12. *in fine*, *de prebend. eod. l. c. si soli*, *de concess. prebend. eod. l. l.* 3. *ff. de off. ejus*, *l.* 1. §. *si quis simpliciter*, *ff. de verb. oblig.* docent Abbas *in c. licet* 12. *de offic. ordin.* ubi non latius dicemus, Parlad. *lib.* 2. *quotid. c. ult.* Diversum tamen observandum est, quando clausula *Appellatione remota*, adjicitur in ea causa, in qua appellatio de jure non admittitur, juxta textus ita accipiendos *in d. c. licet*; *de off. ordin. c. cum aliquibus*, *hoc tit. in* 6.

f *Appellationis.*) Potest enim Pontifex causam committere appellatione remota, *c. super* 27. §. *si vero*, *de offic. deleg. c. Pastoralis* 52. *de appell. c. bone*, *de confirm. utili*, Alexand. post Concil. Lateran. *par.* 7. *c. ult. par.* 10. *c.* 8. *par.* 47. *c.* 3. sicut alii supremi Pricipes, *l.* 1. §. *ult. ff. a quibus appel. l.* 13. *tit.* 23. *partita* 3. Unde sæpissime in Jure nostro mentio fit hujus clausulæ, ut in *c. causam* 18. *hoc tit. c. secundo* 41. *c. Pastoralis* 53. *c. ut debitus* 59. *de appell. cap. super eo* 15. *cap. Pastoralis* 28. *c. ex parte* 47. *de offic. deleg. cap. dilectis* 4. *de rub. c. accepimus* 5. *de pactis*, *c. ex tua*, *de filiis presbyterorum*, *cap. licet* 6. *de foro compet. c.* 2. *de mutuis petit. cap. ex ex conquestione* 10. *de rest. spol.* Eam exponunt plures congesti a Barbos. *in præsenti*, & *de clausulis*, *clausula* 9. quibus addendi sunt Donel. *lib.* 8. *comment. cap.* 6. ubi Osualdi *litt. R.* Carleval. *de judic. to.* 2. *tit.* 2. *disp.* 8. Fragoso *de regim. Christ. Reip. t.* 1. *par.* 2. *l.* 8. *disp.* 24 §. 12. Pichard. *in manuduct. par.* 4. *tractat.* 1. Petr. Gregor. *in d. c. causam*, *hoc tit.* Cironnius *ad tit. de appell.* Hunnius *ad*

ad Treutler. vol. 2. *disp.* 33. *thes.* 4. *q.* 31. Diana *par.* 9. *tr.* 7. *res.* 28. Salgado *de protect.* 1. *p. prelud.* 3. *n.* 81 & *par.* 2. *c.* 6. *n.* 16. & *par.* 3. *c.* 8. *n.* 27. Germon. *lib.* 1. *animad. c.* 13. Clezel. *de appel. c.* 1. *n.* 16. & *c.* 4. *n.* 23. & *c.* 6. *n.* 203. Utuntur hac clausula Principes, non vero Magistratus inferiores, *d. l.* 1. § *fin.* sicut enim soli Principes, possunt Magistratibus, prout placuerit, jurisdictionem definire, *l. quidem* 57. *de re jud. l.* 1. *ff. ad l. Jul. de ambitu*: ita decernere possunt, ne liceat ab eorum sententiis appellare, *l.* 1. §. *de qua*, *ff. de postul. l. quomodo*, *ff. de flumin.* Nec contrarium probat Justin. *in l. fin. C. de sent. & interl.* ut aliqui putarunt, quorum solutionem, & veram illius textus interpretationem tradit Germonius *dist. c.* 13.

7 Nec obstat communis difficultas, quæ contra supra tradita ab Interpretibus adducitur, videlicet defensionem omnibus oppressis jure naturali fuisse concessam, *leg. ut vim*, *ff. de just. & jur. l.* 4. *ff. ad l. Aquil. c. cum inter*, *de except.* Inde appellationis remedium, cum sit oppressorum defensio, ab ipso naturali jure provenire probatur ex *c. cum speciali* 62. §. *porro*, *de appel. c. cum in his*, *c. significaverunt* 11. *de except. l.* 1. *l. si tantum* 6. *ff. de app. c. omnis oppressus* 2. *q.* 6. Sed Principis rescriptum iniquitatem continens, vel aliquid contra jus naturale disponens, nullum est, *l. ex facto* 43. *ff. de vulg. l. rescripta*, *C. de precib. cum* a jure naturali provenientia immutabilia sint, *c. fin. de consuet. Clem. Pastoralis*, §. *ceterum*, *de re judic.* §. *sed naturalia*, *Inst. de jure naturali*. Ergo appellatio a Principe tolli non potest. Nam omissa solutione Milliani *in præsenti*, *c.* 1. *n.* 23. & aliorum, qui affirmant appellationem prohiberi per prædictam clausulam, quoad effectum suspensivum, non vero quoad devolutivum, dicendum est; appellationem generaliter sumptam defensionem esse juris humani, & positivi, ut probavimus *in c. Pastoralis*, 53. *de appel.* atque ita per Principem tolli posse. Cum enim per hanc clausulam appellatio inhibetur, non omnis defensio denegatur, sed modus defensionis a lege humana positiva inductus restringitur, & limitatur, ut docent Doctores, & Canisius *in præsenti*. Deinde quia tunc appellatio, & defensio jure naturali permissa erit, quoties omnino perpessis negotiis, circumstantiis, & qualitatibus, necessaria est ad justitiam consequendam, & tunc a Principe tolli non poterit. Covar. *pract. c.* 23. *n.* 6. Unde etiamsi commissa sit causa appellatione remota, qui gravatus reperitur, potest superiorem adire per viam querelæ, *c. consultationi*, *de appel. in* 6. vel per supplicationem, ut *in l. unic. C. de sent. Prefecti Prator.* docent Franchis *dec.* 148. vel per viam recusationis, Covar. *ubi proxime*, *c. postremo*, *in fine*, *de appel.* Fragoso *d.* §. 12. *n.* 218. Barb. *in solecitis ad nostrum textum*, & ad Pontificem immediate appellare, *c.* 1. *de off. Leg. in* 5. *collect.* imo si gravamen sit notorium, aut ex dolo prolata sit sententia, appellatio non censetur denegata, Glossa *in d. c. ex conquestione*, Didacus Perez *in l.* 1. *tit.* 9. *l.* 3. *ord.* Barbosa *supra n.* 20. & 21. prosequuntur alia remedia Paz *in praxi*, 2. *tom. c.* 1. *p.* 5. *n.* 1. Arnisæus *de jur. majest. c.* 4. *n.* 5.

8 Effectus clausulæ citatus. Sed circa effectus hujus clausulæ Interpretes adhuc non consentiunt. Aliqui existimant per clausulam *Appellatione remota*, tantum denegari appellationem frivolam, ideoque parum operari, quando non est adjecta cum causæ cognitione. Ita docent Lancell. Scaccia, Menoch. & alii congesti ab Aug. Barb. *ubi proxime*, *n.* 15. & *in c. Pastoralis*, *tit.* 53. *de appel.* Alii vero indistincte affirmant, clausulam istam omnem appellationem, etiam legitimam tollere. Ita Hunnius *ad Treutleri vol.* 2. *disp.* 33. *thes.* 4. *q.* 31. Diana *p.* 4. *tr.* 7. *res.* 28. Moventur ex eo: nam si prædicta clausula ad legitimas appellationes non extenderetur, otiosa, & supervacanea esset, cum frivolæ, & frustratoriæ appellationes ipso jure non admittantur, *l. fin. C. de appel. recip. l. libertus* 31. *de negot. gestis*, *l.* 8. §. *si ignor. ff. mandati*. Deinde quia sicut verba legum cum effectu sunt accipienda, *l.* 5. §. 2. *de in jus vocando*: ita & verba rescriptorum; & sicut verba in qualibet dispositione adjecta ita accipienda sunt, ut aliquid operentur, *l. si quando* 109. *in princ. de legat.* 1. ita & verba hujus clausulæ. In quo interpretum diffidio placet opinio Petri Greg. *in d. c. causam* 18. *de rescr. n.* 12. & Fragoso *d. c.* 12. *n.* 225. distinctionem dantium inter Jus Canonicum, & Civile, itaut hoc inspecto, clausula *Appellatione remota*, tollat appellationem, non solum frivolam, verum & legitimam, *l.* 1. §. *interdum*, & ibi Gl. *verbo ab eo*, *ff. a quibus appellare*: illo autem attento, tantum extendatur ad frivolam, & frustratoriam appellationem, *c. meminimus*, *c. ut debitus*, *de app.* non vero si legitima sit, *d. c. ex conquestione*, *c. postremo* 36. *c. ex par.* 47. *de appel.* aliquin enim si non fuisset clausula posita, omissa appellatio, sive justa, sive frivola, sive ante, sive post sententiam, admitteretur saltem ad effectum devolutivum, *c. super eo* 10. *c. de appel.* 11. *c. super* 12. *de app.* ita Borell. & Scaccia citati a Fragoso *ubi sup.* Facit Arnulf. Lexov. ad Had. Pap. *Privata communis causa præponderat: quoniam de Ecclesia Dei libertate tractatur, nec jam spes ulla restat refugiis, si in arcitum deducta fuerit Apostolicæ protectionis auctoritas.* Illud etiam notandum est, clausulam istam in una parte rescripti appositam ad omnes ejus partes extendi, *c. præterea* 46. *c. secundo requisiti* 41. *de appel.* ubi late dicemus: docet Scaccia *de appel. q.* 16. *limit.* 1.

9 g *Appellare.*) Merito in præsentium verborum expositione laborant Interpretes, inquirentes, quam utilitatem hoc rescriptum impetranti afferre poterat, & quare ut superfluum non rescatur; nam certum est omnibus oppressis licitum esse in appellationis vocem prorumpere, *c. Omnis oppressus*, *c. ad Rom.* 6. *q.* 6. *c. cum speciali*, §. *porro*, *de appel. l. non tamen*, *ff. eod. l. litigatoribus*, *l. ex majoribus*, *C. eod. tit.* Covar. *pract. q.* 23. Scaccia *de appell. q.* 5. Lancellot. *de attentatis q.* 12. *limit.* 5. Sed frustra precibus impetratur, quod jure communi concedit, *l.* 1. §. *ult. ff. ad municip. l. quo* 8. §. *ult. ff. de condit. instit. l. unic. C. de Thesauris*, *l.* 10. Ergo rescriptum in quo jus commune continetur, inutile & superfluum est. Torsit nimis Interpretum ingenia difficultas adducta, & in varias sententias distracti, novas quærunt solutiones. Glossa *hic*, Bellamera *n.* 1. Ripa *n.* 32. Mantua *n.* 73. quos sequitur Sahagun *in præsenti*, existimant, eum qui impetravit rescriptum, ut liceret appellare, prius perpetrasse delictum, in cujus pœnam appellandi facultate privatus erat; & sic indulgentia Principis indigere, ut sibi liceret appellare. Sed hæc solutio divinationis vitio laborat, siquidem ex textu non constat delictum aliquod ab imperante fuisse perpetratum. Aliter Hostiensis *in nostro textu*, *n.* 8. Anton. de Burg. *n.* 27. quos rejiciunt Panor. *n.* 9. Berojus *n.* 34. qui ausi sunt afferere: in specie hujus textus rescriptum speciale cum clausula, *appellatione remota*, prius impetratum fuisse post rescriptum generale cum clausula, *ut libere liceret appellare*; & cum certum sit secundum rescriptum prioris non fecisse mentionem, ideo rescriptum generale non potuit subsistere, imo virtute prioris rescripti sublatum fuisse, Millianus *in præsenti*, *n.* 9. Aliter Anastas. Germon. *l.* 1. *animadv. c.* 10. dum affirmat rescriptum, in quo conceditur facultas appellandi, inducere in eo, qui alias appellare poterat, ut possit appellare sine solemnitate a jure præscripta; tam respecta temporis, quam modi in appellatione servandi, ut contingit in casu textus *in l. si quando*, *C. de inofficioso test.* & similia, qui rescriptum impetravit alias impeditus erat, veluti quia excommunicatus reperiatur, *ex c. per tuas*, *de sent. excom. c. quæstionem*, *de offic. ord. in* 1. *collect.* tunc appellatio interponi possit, servatis juris solemnitatibus. Verum his, & aliis solutionibus omissis, alii docent, litigatorem, de quo in præsenti, per imperitiam, seu iniquitatem judicis sæpe ab eo vexatum fuisse, quare dum ipse futura gravamina timeret, a Rom. Pontifice litteras protectionis impetravit, quibus illi concedebatur, ut in omnibus casibus præmissis posset libere, & generaliter appellare. Item Pontifex sub Sedis Apostol. protectione ipsum recipiebat ad hoc, ut quodlibet damnum illi illatum per Sedem Apostol. vindicaretur, ut in casibus relatis *in c. ad audientiam* 34. *de appell. c. recolimus* 8. *c. ex parte* 18. *de privil.* quod rescriptum singularem utilitatem continebat. Tum quia magis timeretur speciale Pontificis rescriptum, quam juris communis generalis disposition, *c. quamcumque* 23. *d. c.* 2. *de donat.* Tum quia specialiter in protectionem Sedis Apost. recipiebatur; quæ facti species satis probatur ex nostro textu, ibi: *Apostolicis munire.* Quid enim aliud significat te munire, quam ad imminentia damna se tueri, *l.* 1. §. *fin. ff. de aqua pluvia*, *l.* 5. §. *si quis*, *damno infect.* id etiam offendit Pontifex in illis verbis: *Ut libere possit appellare*; non enim poterat Alexander apertius ostendere oppressionem, quam concedendo parti liberam appellationem; verbum enim *libere*, magnam retro oppressionem præcessisse denotat, *l.* 3. *ff. de statu hominum*, docet Barb. *in solecit. ad hunc text. n.* 7. Sed verius Franc. Florens, & Jo. Acosta textum hunc accipiunt juxta usum Ecclesiæ, cujus Senon. Archiep. in eo scribitur, Ecclesia enim Galliciana justo licentius non admittebat appellationes ad R. P. ut constat ex epistolis Arnulfi Lexov. & Nicolai I. ad Episcopos Galliæ, *c. arguta*, 2. *q.* 6.

COMMENTARIUM.

EX hac Alexandri Decretali sequens deducitur assertio: *Privilegio generali rescriptum derogat speciale, etiamsi ejus mentionem non faciat.* Probant textus *in cap. Pastoralis* 14. §. *quoniam*, ibi: *Cum generali per speciale proculdubio derogetur*, *hoc tit. c.* 2. *de offic. Legati*, ibi: *Quod cum mandatum speciale deroget generali*, *c. dudum* 14. §. *nos igitur*, ibi: *Præsertim, quod secundum canones, & legitimas sanctiones, per speciem generi derogetur*, *quamquam de genere in derogatione specie mentio nulla fiat*, *c. quamvis* 38. *de prab. in* 6. ibi: *Nam prima generali gratia tibi facta derogat posteriori specialis, licet de illa non fecerit mentionem*, *c. quoniam*, *c. prudentiam*, *eod. tit. c.* 1. *de consph. eodem lib.* Per argumentum etiam probat lex *cohæredi* 41. §. *quod patre*, *ff. de vulg.* lex *uxori* 41. §. *fideicommisso*, lex *servus* 99. *ff. de legatis* 3. lex *dotis* 119. *ff. de v. l.* lex *sanctio* 41. *ff. de pœnis*, lex *quæstium*, 12. §. *fin. in princ. ff. de fundo instructo*: lex *proinde* 33. lex *cum ejusdem* 34. *ff. de ædilitio edicto*, juncto Fabro *l.* 1. *conject. c.* 7. *in fi.* illustrant plures laudati a Barb. *in præsenti*, Millian. Cauus, Uranius, Petr. Greg. Fagaaa. & Sahagun. *ad nostrum textum*, Germon. *l.* 1. *animad. c.* 10. Hotoman. *l.* 4. *obs. c.* 7. Mantic. *de tempor. ult. l.* 9. *tit.* 6. Pechius *in generali*, *de reg. jur. in* 6. Surd 1. *t. cons.* 56. Sanr. *de legib. l.* 8. *c.* 39. *n.* 7. Salas *eod. tr. disp.* 14. *sect.* 7. Basil. *l.* 8. *de matr. c.* 19. §. 2. *n.* 21. Greg. Lopez *l.* 37. & 39. *tit.* 18. *p.* 3.

Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti consideratione; nam notissima juris regula est, rescriptum speciale nullius momenti esse, nisi expressum juris communis mentionem, & tum ejus derogationem faciat; *l. rescripta*, *C. de precib.* transcripta a Gratiano *in c. rescripta* 25. *q.* 1. Accedit, nam nunquam creditur Pontificem rescriptum concedere cum damno, & præjudicio tertii, *c. super eo* 15. *de offic. deleg.* sed ex rescripto speciali, ut liceret appellare, damnum irrogabatur tertio, qui habebat privilegium, ut appellatione remota audiretur in causa: ergo speciale rescriptum non debet illi privilegio derogare cum ejus præjudicio. Fulcitur etiam dicta consideratio, quia si Pontifex in rescripto secundo, cum clausula, *Appellatione remota*,

10 Conclusio refertur, & probatur.

11 Impugnatio assertionis.

remota, concesso, certior fieret de rescripto priori, quo appellatio permittebatur, minime appellationem removeret, *cap. super 10. hoc tit. c. super 12. de offic. deleg.* igitur secundum rescriptum non debebat subsistere. Tandem roboratur dicta dubitandi ratio ex eo: nam Princeps præsumitur ignorare prius privilegium generale concessum, cum non sit intra corpus Juris clausum: igitur privilegium in nostro textu concessum, ut liceret appellare, non potuit per speciale rescriptum tolli, cum nec virtualem priori derogandi voluntatem contineat.

12 Genus in Jure quid. Hac dubitandi ratione non obstante, vera est tradita assertio, ad cujus expositionem sciendum est, in Jure nostro genus illud vocari, quod plures sub se continet species, *l. 3. §. genera, ff. de acq. poss. l. non videtur 33. ff. de jud. l. Mævius 66. §. duorum, ff. de legat. 2. l. 2. §. mutui, ff. de rebus cred.* ubi Donellus, & Barclajus in generis acceptione consulti cum Dialecticis non conveniunt. In Jure enim genus dicitur promissum, cum aliquid indefinite, & generaliter promittitur, quamvis non in omnibus, sed in uno tantum ex omnibus promissio impleatur. Exemplum est homo generaliter legatus, in quo Dialectici omnem hominum speciem legatam esse, nec impleri ipsorum obligationem nisi per universorum hominem solutionem, si fieri posset, affirmant. Consulti vero non speciei, sed generis legatum; nec per universorum, sed per unius ex genere præstationem obligationi satisfactum, communiter asseruerunt, *l. in executione 88. §. pro parte, ff. de verb. oblig. l. cum incertus, ff. de legat. 1.* non quia vere genus, aut universæ, & singulæ species legatæ sint; nam generis, aut universarum rerum promissio solummodo in toto genere, aut universis speciebus implementum acciperet, *princ. Inst. de oblig.* sed quia homo ille indefinite debitus unus numero est, & certificandus solutione, quoad personam; tamen quia ante solutionem demonstratio ejus incerta est, & prædicari potest de singuli individuis, attenta hac vaga generis qualitate, illud nomen sortitum est textus ita intelligendus *in l. 2. in princ. ff. de reb. cred.* ubi cum dicitur *Mutuum damus recepturi non eamdem speciem, sed genus*; certum est Consultum non asserere universum genus, sed alteram tantum summam parem receptæ quantitati ex eodem genere ab eodem indeterminatam ad omnes solutiones, solutionem determinandam reddendam esse, ut docent ibi Donellus, & Barclaius. Eoque sensu pariter accipiendi sunt text. *in d. l. 2. §. sed harum, in d. l. in executione, §. pro parte*: quod cum non satis percalluisset Hottoman. *de verb. jur. v. Genus*, ausus est JC. reprehendere, & impropria significatione eum usum fuisse asserere; ex eoque gravius reprehendendus est, quod erravit post inventam certam veritatis viam a Bartholo *in d. §. sed harum, n. 10.* Jasone *n. 39.* quos sequutus est Donellus *in d. l. in stipulationibus, num. 14.*

13 Quid species. Secundo sciendum est, speciem dici illam, quam Dialectici vocant individuum, in se continentem certa corpora, seu res, *l. talis 30. §. item, l. cum res 47. §. 1. ff. de leg. 1. l. in stipulat. 54. ff. de verb. oblig.* ubi Cujac. & Donellus *n. 15.* Qua ratione recte speciale rescriptum illud in præsenti vocatur, quo certa caussa, appellatione remota committitur; non quia sub tali clausula non soleat rescriptum, nisi ex speciali caussa concedi, ut voluit Abbas hic *n. 9.* sed magis, quia cum hac clausula non solet genus caussarum, sed tantum certa caussa mandari: nec in alio sensu dicuntur speciales litteræ *in c. Pastoralis 14. §. ult. hoc tit.* nec speciale mandatum *in c. nonnulli 18. §. ult. hoc tit. de procur. in 6. c. dudum 14. c. nobis 38. de præb. in 6.* Sed etiam specialis substitutio illa dicitur, quæ certis tantum personis fit, *l. coheredi 41. §. qui patrem, ff. de vulg.* Specialis obligatio, quæ certo corpore sustinetur, *l. 2. C. de pign.* Speciale judicium, quo res singularis petitur actione in personam, vel in rem, *l. si in rem, l. in speciali 73. de rei vind. l. pro socio 38. ff. pro socio.* Specialis judex, cui in certa caussa addicitur, *l. ult. C. de judiciis.*

14 Generi per speciem derogatur. Tertio illud sciendum est, quod quoties in uno, eodemque negotio concurrunt genus, & species, & ambo simul consistere nequeunt; generi per speciem derogatur, non quia universum genus pereat propter speciem, sed tantum quia a toto genere species illa eximitur: nam derogare, proprie loquendo, nihil aliud est, quam ex toto partem aliquam detrahere, reliquo manente. Unde legi derogari dicitur *in l. servis 99. §. ult. ff. legat. 3.* idest detrahi: regulæ derogari, *in l. si peculium 10. ff. de manum. test.* idest excipi, seu minui. Igitur in toto Jure generi per speciem derogatur. Inde est in omnibus Juris partibus, & negotiis, ut in ultimis voluntatibus, in institutione heredum, *l. coheredi 41. §. qui patrem, ff. de vul.* in legatis, *l. si peculium 10. ff. de peculio legato, l. 4. §. Codicilli, l. uxorem 41. §. felicissimo, l. servis 99. §. ult. de legat. 3. l. 1. de auro, & arg. leg. l. 2. ff. de penu leg. l. alimenta 16. §. pen. l. Stichus 10. in princ. de alim. leg.* & aliis congestis a P. Fabror & Gothof. *in d. l. in toto 80.* Castillo *l. 5. contr. c. 95. n. 34.* Cujacio *in d. l. coheredi, §. qui patrem.* Nec huic principio obstant textus *in l. ult. §. ult. ff. de aur. & arg.* pro cujus expositione videndus est Covar. *in rub. de testam. 2. p. n. 29.* Cujac. *8. resp.* Papin. *in l. libertis, §. pater, ff. de alim. leg.* Nec textus *in l. si alii 19. l. Sempronius 16. §. ultim. ff. de usufr. leg. l. si proprietas 9. de usufr. accresc. l. si tibi 6. de usufr. earum rer.* de quarum interpretatione agunt Cujacius *in d. §. si alii.* Castillo *de usufr. c. 47. a n. 3.* Nec textus *in l. heres 10. §. 1. de legat. 3. l. 1. §. item si duo, ff. de auro, & arg. l. legatum 9. §. si enim, de supel. legat. l. uxorem, §. felicissimo, ff. de legat. 2. l. Domino 99. de leg. 1. l. si hæres 11. ff. de opt. leg. l. quæsitum, §. fin. de fundo instr.* quas exponunt Cujacius *l. 1. obs. c. 27.* Ant. Fab. *l. 1. conject. c. 1.* Donell. *l. 8. comment. c. 19.* ubi Osuald. *lit. E.* text. *in l. periculis 32. §. Labeo, ff. de auro, & arg.* de qua Cujac. *ad Paul. l. 3. sent. tit. 6. §. lana*, Hottomanus *l. 4. observ. cap. 2.*

15 Ampliatur præd. regula. Deinde prædicta regula in præsenti textu transcripta procedit, & locum habet in sanctionibus, legibus, & statutis, *l. sanctio 41. ff. de pœnis, c. 1. de const. l. 6.* ad quam speciem referendam esse dictam reg. in toto Jure existimavit Gothofr. *ibi.* Igitur si una lex sit generalis, alia specialis, & inter se pugnent, utique specialis generali derogabit, *d. c. 1.* Nec aliud placuit in illis verbis legis Aquiliæ, de quibus in ejus tertio capite, quæ extant in *l. si servus 27. §. 3. autem, ff. ad leg. Aquil.* ubi licet verbum *Ruperit*, generale sit, per speciale *Fregerit*, non derogatur; quia aliquando solent Juris conditores verbum generale subjicere, quo specialia complectantur, ut docent Pichardus *in d. §. 3. c. n. 20. Instit. ad l. Aquil.* Suar. *ad ipsam l. lib. 2. c. 3.* habet etiam regula dicta locum in contractibus privatorum; ex. gr. doli clausula, quæ stipulationibus subjici solet, non pertinet ad ea capita stipulationis, de quibus nominatim, seu in specie cavetur, ut Papinianus scripsit *in l. doli 118. ff. de verb. obl. & in l. stipulatione 53. eod. tit.* Exemplum quoque peti potest ex pignoris remissione, *l. ult. C. de remiss. pign.* ex hypotheca speciali, *l. 2. C. de pign.* Nec huic doctrinæ adversantur text. *in l. 2. ff. qui potior l. item 7. §. si tibi, ff. eod.* Ad quorum solutionem videndi sunt Connan. *l. 4. comment. c. 17. n. 6.* Cujac. *l. 11. observ. c. 32. & in d. l. 2. ff. qui potior* Faber *l. 5. conject. c. 13.* Felicianus *de censibus l. 3. variar. c. 5.* Balduin. *de pignor. c. 12. in fin.* Covar. *l. 3. variar. c. 18.* Molina *l. 4. de primog. cap. 7. n. 21.* Sarm. *l. 2. select. c. 5.*

16 Traditur ratio decidendi. Ex quibus jam apparet vera decidendi ratio ad nostrum textum, quam ut assignent Interpretes, varias adducunt. Sahagun *in præsenti, n. 2.* existimat rationem nostræ decisionis in eo consistere, quia animi mutatio nunquam præsumitur, *l. eum qui 22. ff. de prob. l. cum hic 32. in princ. ff. de don. inter l. quoties 9. §. tantumdem, ff. de heredib. instit. c. quod semel, de reg. jur. in 6.* ideo si quis generaliter, & specialiter disposuerit, ne specialis dispositio semel valida per generis dispositionem mutata dicatur, species consistit, & genus in reliquis casibus locum habet. Sed hæc ratio repugnat regulæ dictæ legis *in toto*, & verbis nostri textus, ubi potius animi mutatio supponitur: & sive genus præcedat, sive sequatur, semper illi species derogat, *d. l. uxori, §. felicissimo, d. l. servis 99. c. 2. de offic. leg. c. dudum 14. c. quamvis 38. de præb. in 6.* ubi genus præcessit, & species sequebatur, *l. Titia 36. de leg. 1. l. legatorum 33. §. 1. de leg. 2. c. Abbate 40. hoc tit.* ubi species præcessit, & genus sequebatur. Docet Millian. hic *n. 12.* Quare omissa hac ratione, dicendum est rationem nostræ decisionis ab Alexandr. nostro reddi in illis verbis: *Quia mandato generali derogat speciale.* Quare non tam rationem decisionis indagare debemus, quam rationem a Pontifice traditam ex certa rerum origine deducere, & meo videri exinde provenit; nam apertius declaratur voluntas disponentis in specie, quam disponentis in genere: potiorque habetur ejus affectio in constitutione speciei, quam in generica dispositione; nam in genere nomine collectivo, & universali comprehenditur species; in specie autem nomine proprio, & aperta rei demonstratione eam designat: id autem, quod specialiter disponitur, majoris voluntatis argumentum est, quam id quod generali cautione statuitur, *c. quamquam, 23. d. c. 2. de don.* Unde ad positionem generis non sequitur actualis positio speciei; ex positione vero speciei sequitur actualis positio generis, nam si dicat quis, *est animal*, non sequitur, *ergo est homo*, sin autem dicat, *est homo*, sequitur quod est animal: *l. si quid 41. §. de leg. 3.* & docet Everard. *loc. 7.* Sequitur ergo disponentem semper voluisse speciem contra genus prævalere, & sic speciem generi derogare: quam rationem præsensit Papin. *in d. l. in toto*, dum ait: *Et illud potissimum habetur, quod ad speciem decretum est.* Eam illustrat Cicero *l. 2. de invent.* ubi dum de legibus diversis sermonem instituit, ait: *Utra lex de genere, utra de speciali, quæ scripta videantur; nam quæ ad speciem aliquam scripta est, proprius ad caussam accedere videtur, & ad judicium magis pertinere.*

17 Dissolvitur ratio dubitandi. Nec obstat ratio dubitandi deducta *ex d. l. rescripta*, pro cujus expositione varia cumularunt Suar. *de legib. l. 8. c. 14.* Salas *eod. tr. disp. 13. sect. 14. n. 15.* Abbas *in præsenti, n. 12.* Berojus *n. 27.* Ripa *n. 37.* quorum solutionibus omissis dicendum est, in eo textu non generaliter decidi, in omnibus rescriptis desiderari monitionem juris communis, sed tantum decidi tur, ut confutentur rescripta contra jus concessa, non semper, & absolute, sed eo tantum casu, quo in præjudicium alterius impetrantur: nam cum damno tertii non habet Princeps facultatem aliquid concedendi. Ceterum si sine præjudicio concesserit, valebit rescriptum, etiam non facta juris communis mentione. Nec argumentum difficultatis obstat; nam illud procedit, cum jus est alteri quæsitum, quod per subsequens rescriptum non tollitur, nisi prioris derogatione expresse facta. Non enim solet Princeps cum læsione juris alterius rescribere, *c. ex parte 12. de off. de leg.* unde privilegio non derogatur, si nulla illius mentio facta sit, *c. veniens 19. de præscr.* at in nostro textu nullum jus impetranti rescriptum generale acquisitum erat, sed tantum generale mandatum ad omnes judices communicatum fuerat, ut posset in qualibet caussa appellare: non mirum ergo, si huic generali præcepto derogetur per speciale. Nec obstat secundum argumentum, ubi dicebamus, Pontificem non æqualiter concessurum, si sciret rescriptum in contrarium jam ipsum concessisse. Nam respondetur, illud procedere, cum rescripta sunt generalia, aut specialia; non vero si unum sit generale, aliud speciale; tunc enim cum non tol-

latur

latur in totum, sed tantum in una parte, speciale videlicet, creditur Pontificem, etiamsi sciret, æqualiter concessurum. Nec ultimum argumentum obstat, nam respondetur illam ignorantiam esse concomitantem, quia non minus concederetur specialis gratia, etiamsi generalis præcessisset, *c. dudum, de præb. in 6.* unde non fuit necessaria specialis scientia.

18 Exponitur text. in c. ex tua, De fil. presb. Supradictæ assertioni obstat text. *in c. ex tua de filiis Presbyt.* ubi proponuntur duo rescripta; primum generale, quo dispensatio concedebatur filiis Sacerdotum circa beneficia paterna immediate retinenda: secundum vero speciale beneficiorum paternorum privationis, si constaret partes eorum immediate illa possedisse; & tamen per hoc speciale non derogatur priori generali: igitur non recte defendimus rescriptum speciale generali derogare. Cui difficultati variis modis satisfacere intendunt Panorm. *in præsenti n. 14.* Ripa *n. 61.* Gloss. *in d. c. ex tua, verbo Intimari*, & in Præsenti, *verbo Mandatum.* Cardin. *opp. 3.* qui affirmant, ideo rescriptum speciale in eo textu non derogare generali, quia ante secundum rescriptum Archiepiscopus ex vi prioris dispensaverat cum aliquibus Clericis, quorum respectu primum rescriptum generale in effectu factum fuerat speciale, argumento text. *in l. cum incertus 13. ff. de leg. 1.* Proinde non mirum, si in ea specie regula nostri textus locum non habeat: pro qua interpretatione duo faciunt. Primum, quia per dispensationem, adeo jus quæritur dispensatis, quod si de eo Pontifex certior fieret, sine dubio in eorum præjudicium non secundum rescriptum concederet, *c. dudum 14. §. considerantes, de præb. l. 6.* Secundum, quia si per posteriores litteras *in d. c. ex tua*, prioribus derogaretur, non tantum illis præjudicaretur, sed irritarentur, ut ait text. ibi: *Nolumus irritare.* Facit etiam pro tradita solutione text. *in c. pastoralis 14. §. ult.* ibi: *Ante personam, vel rerum expressionem*; hoc titulo, quibus verbis innuitur, regulam nostri textus non procedere, quoties ex vi generalis mandati exprimuntur personæ, & res, quibus expressis genus ad speciem dirigitur, & perinde habetur, ac si rescriptum esset speciale: aliter hunc textum interpretatur Basil. *l. 8. de matr. c. 17. §. 2. n. 24.*

19 Intelligitur cap. cum ordinem 6. hæc tit. Secundo etiam adversatur text. *in c. cum ordinem 6. hoc tit.* ubi proponitur generale privilegium Cisterciensium, quo eximuntur a solutione decimarum; cujus mentio extat *in c. ex parte 10. c. ad audientiam, c. nuper de decim.* & docetur, quod si postea fuerit impetratum rescriptum speciale, nulla facta privilegii generalis mentione, per hoc speciale non derogari generali: igitur vera non est præsentis textus decisio, pro cujus interpretatione communiter DD. discrimen constituunt inter privilegium, & rescriptum: ajunt enim, rescripto generali derogari per speciale; privilegio vero generali non utique per rescriptum. Ita Roderic. Suar. *alleg. 28 n. 10.* Menoch. *cons. 36, n. 2.* Tuschus *litt. G, concl. 36, n. 99.* Barbos. *in l. 1. par. 1. n. 6. ff. soluto matr.* Castillo *l. 5. controv. c. 45. n. 21.* Millian. *in præsenti, n. 17.* pro quibus faciunt textus *in c. veniens 19. de præscr. c. inter 20. de re jud. c. ex parte 2. de capellis monach. c. dudum 31. de privil.* Sed contrariam sententiam, videlicet privilegio generali derogari per speciale, defendunt Suar. *de legib. l. 8. c. 32. n. 7.* Salas *eod. tr. disp. 14. sect. 74.* Hostiensis, Butrius, Berojus *in præsenti*, Azor. *l. 5. instit. c. 22. vers. 12* Quorum sententia probatur ex nostro textu, ubi privilegium concessum erat, ut liceret appellare, ibi *indultum, c. dudum, c. quamvis, de præb. in 6.* Qua sententia retenta, refellitur facile prædicta solutio; unde ea omissa, & aliis traditis a Cenedo *ad Decretal. collect. 151.* jam antecessoribus nostris placuit solutio Butrii *hic n. 2.* Abbatis *n. 16* Beroii *n. 68.* Ripæ *n. 74.* qui affirmant, ideo *in d. c. cum ordinem*, necessariam esse specialem mentionem Ordinis, seu privilegii Cisterciensibus concessi; quia ut constat ex integra illius textus littera, quæ extat in appendice Concilii Later. sub Alex. III. celebrati, *pag. 41 c. 4.* privilegium illud Ordinis Cisterciensibus præscribebat formam, ne alias super decimis, vel aliis, quæ ipsi Ordini specialiter fuerant concessa, possent monachi conveniri per rescripta postea impetrata, non facta mentione ipsius Ordinis. Nec mirum videri debet, si rescriptum non servata forma tradita in privilegio, inutile sit, argum. text. *in c. cum dilecti, c. nonnulli 18. in princ. hoc tit. l. si quis 22. de legat. 3. l. 3. C. de silentiar.* Facit etiam ejus textus vera historia. Cum enim Alex. III. concessit Cisterciensibus privilegium exemptionis a solutione decimarum, quod refert Illust. Manrique *t. 2. annal. anno 1169. c. 3. n. 4.* quidam Clerici suppresso illo privilegio, Monachos Monasterii de Cumir magnopere vexabant: quod cum primum agnovit Alexan. III. novum indulsit privilegium, ne ex nunc Monachi per rescriptum Apostolicum conveniri valerent, nisi in eo specialis ipsorum fieret mentio. Illud refert Manrique *ubi supra n. 8. & t. 4. fol. 350.* præsensit hanc interpretationem Barb. *in d. c. cum Ordinem, n. 6.*

20 Traduntur alia Jura. Tertio opponi solent nostræ decisioni text. *in l. 1. C. de off. Præfecti Urb. c. per hoc 16. de heret. in 6. l. fin. C. de jurisd.* in quibus probatur per jurisdictionem specialiter concessam non subtrahi aliquid de jurisdictione generali, imo potius cumulative concurrere. Igitur non est verum, speciem generi derogare. Quorum jurium auctoritate receptum a pluribus est, nostrum textum locum non habere in jurisdictione favore judiciorum. Ita Barb. *in d. l. 1* Covar. *in c. alma, 1. p. §. 12. n. 8.* Menoch. *l. 2. præsumpt. 16. n. 28.* Surdus *cons. 16. n. 19.* Osuald. *l. 17. comment. c. 9. lit. N.* Sed eorum sententia refellitur a Donello *in d. c. 9.* Garcia *de nobilit. gl. 1. n. 6.* Pro quibus faciunt text. *in c. pastoralis, §. ult. hoc tit. c. 2. c. studuisti, de off. Leg. l. 2. C. ubi caussæ fiscales, l. cum Prætor 12. l. solemus 41. §. latrunculator, ff. de jud. l. 4. ff. de offic. Præsid.* Nec ea opinione retenta obstant prædicta jura, quia dicendum est, per concessionem jurisdictionis specialis induci derogationem generalis; nec tunc cumulative procedi, nisi contrarium expresse cautum sit, ut in dictis juribus; tunc enim cumulatio datur, *d. l. fin.* ibi: *Ut ipsis nihilominus judicibus, sub quorum jurisdictione sunt, respondeant.* *d. l. 1.* ibi: *Eidem præfecturæ sollicitudinem mandamus*, *d. c. per hoc*, ibi: *Concedimus quod perpetuo.* Unde cum expressa cumulatio permissa sit, ideo per speciem aliquid a genere non detrahitur.

21 Explicatur c. ex parte 12. de off. deleg. Solet etiam opponi text. *in c. ex parte 12. de off. deleg.* ubi in concursu duplicis rescripti, generalis, & specialis ad beneficia conferenda, potius generale deroget speciali, quam e contra. Pro cujus difficultatis solutione semper placuit doctrina ultimæ glossæ *in d. c. ex parte*, communiter receptæ a Berojo *hic, n. 67.* Decio *in c. pastoralis, §. ult. n. 2. hoc tit.* Valasco *consult. 72. n. 14.* Millriano, *hic, n. 11.* dum docet *in d. c. ex parte*, non dari rescriptum generale, & speciale, sed utrumque esse speciale: nam licet prius rescriptum quoad verba generale videatur, re tamen, & effectu speciale est, dum dirigitur ad primum Archidiaconatum proxime vacaturum, unde cum in specie certa verificetur, speciale est, *l. si domino 99. de legat. 1.* Proinde cum posterius rescriptum similiter esset speciale, non mirum si alteri per aliud non derogetur; non enim ibi conferri jubetur Archidiaconatus indistincte, quia tunc esset rescriptum generale, *c. Abbate 40. tit.* sed Archidiaconatus primo vacaturus; & sic rescriptum est speciale. Barbos. *in præsenti*, Solorzan. *de jure Indiar. lib. 2. cap. 9. num. 15.*

C A P U T II.

Idem a *Cant. Archiepiscopo.*

EX parte *b* Conventrensis Episcopi nostris est auribus intimatum, quod cum de caussa, quæ inter G. & F. Clericos vertitur, super præbenda de *c* Novalis cognoscens, legitime idem F. (secundum tenorem litterarum nostrarum, continentium quod si constaret ipsum F. de perjurio esse *d* convictum, *e* & perpetuo illi renunciasse præbendæ, *f* amoveretur ab ea, eo cognito, & probato) præbendam *g* adjudicasset eamdem, ipse in vocem appellationis prorupit: & ad te, quod ei præbendam *h* præcise, & absque caussæ cognitione restituere, litteras nostras reportavit: & *i* Episcopum, qui post appellationem eum præbenda spoliaverat, auctoritate Apostolica alicui beneficium conferendi *k* potestate, appellatione cessante privares, donec per se, vel per nuntium, aut per litteras suas de tanto excessu satisfacturus, ad Sedem Apost. accederet: & prænominatum G. si eumdem F. in jam dicta præbenda præsumeret molestare, vinculo excommunicationis usque ad condignam satisfactionem constringeres. Verum quoniam non credimus ita præcise *l* scripsisse, & in hujusmodi litteris intelligenda est hæc conditio, etiamsi non opponatur (Si preces veritate nitantur) mandamus, quatenus inspectis litteris, quas Episcopo prædicto direximus, si inveneris, quod secundum prædictum modum ei scripserimus, & in litteris, quas præfatus F. reportavit, non fuerit habita mentio priorum *m* litterarum; sententiam præfati Episcopi confirmes, & sæpedictum F. cum litteris nostris, quas tibi detulit, ad præsentiam nostram tamquam falsarium venire compellas.

N O T Æ.

1 Cantuaria ubi. a *CAntuariensi.*) Archiepiscopatus est præcipuus in regno Angliæ, habens quatordecim Suffraganeos, jam a temporibus Gregorii Magni, circa annum 605. Archiepiscopali Cathedra decoratus. Plura de ipso Polyd. Virgil. *l. 4. historia Angliæ*, Præsulum ipsius Ecclesiæ seriem, & catalogum refert Richard Smitheus *in floribus Angliæ*, ubi *cap. 6.* narrat B. Thomæ gesta, & miracula, cui missa est hæc Epistola ab Alexand. III. quæ etiam reperitur *in c. 2. de rescriptis, in 1. collect.* & in Conc. Later. sub eodem Alexand. III. celebrato, *p. 7. c. 18.*

b *Conventrensis.*) Conventrensis Episcopatus est in Anglia, Suffraganeus Archiepiscopi Cantuariensis, ut proponitur in Angliæ descriptione, & refert Polydor. Virg. *in princ. Hist. Angliæ, fol. 5.* 2

c *Novalis.*) Sed male; legendum enim est, Norvicensis, vel Nordocensis: est vero in Anglia similiter sub Cantuar. Archiep. Episcopatus Nordovicensis, de quo Polyd. *l. 4. hist. fol. 65. & l. 10. fol. 145.* Ciron. *in 5. collect. ad text. in c. 1. de præb.* Circa unam præbendam hujus Ecclesiæ controversia orta fuit, de qua in præsenti agitur. 3

d *Convictum.*) Unde beneficio privandus erat, *c. 2. de fidejur.* 4

dejur. c. accedens, *de necessit. c. querelam* 10. *de jurejur.* ubi dicemus.

e *Et.*) Ex hac conjunctione deduci videtur, non sufficere Clericum de perjurio convictum esse, ut a præbenda amoveatur; sed etiam desiderari, ut idem perpetuo præbendæ renuntiasset; quare & perjurium, & renuntiatio simul privationem inducant, non vero separatim. Hunc enim sensum necessario expostulat illa copulativa, *&*, cujus vis, & natura est, ut omnia sub ipsa copulative comprehensa, existere, & adimpleri debeant *l. si heredi* 5. *C. de conditi. si quis ita* 120. *ff. de verb. obl. l. quod vulgo* 45. *ff. de manum. test. l. si ambo* 70. *ff. de fidejuss.* §. *si plures*, *Inst. de hæred. inst.* Cujac. Forner. & Gentilis *in d. l. sæpe* 35. *ff. de v. s.* plures Barb. *de dictionib. in dict. Et.* Sed perjurium per se, & renuntiatio separatim sufficit, ut quis privetur beneficio: ergo non recte Alexan. III. simul requirit perjurium, & renuntiationem. Agnovit difficultatem quidam perdoctus vespertinus Antecessor noster, qui existimavit renuntiationem in præsenti non fuisse spontaneæ, & libere factam, sed coactæ, quæ nullius momenti est; *c. Abbas*, *c. ad aures*, *de his, quæ vi*, Petr. Greg. *in præsenti*, *n.* 4. dicenus late *in d. c. Abbas*. Unde cum renuntiatio nullius momenti esset, ideo ratione perjurii tantum privandus beneficio erat. Movebatur Antecessor noster eo fundamento, quia Judices ob perjurium solebant privare Clericos beneficiis Ecclesiasticis, *c. tua* 11. *de jurejur.* quod faciebant cogendo ipsos beneficiis perpetuo renuntiare; unde hæc renuntiatio, ut facta metu, non sustinebatur. Movebatur etiam ex eo, quia ut renuntiatio vires habeat, debet fieri coram legitimo superiore, & in illius manibus, *c. admonet* 4. *de renunt.* Sed in hoc textu nulla superioris mentio fit: ergo renuntiatio non valebat. Sed hæc interpretatio, quæ ingenii acumine, & tanti viri auctoritate pollet, sustineri non potest; nam non probatur ob perjurium in nostro casu renuntiationem factam fuisse, nec etiam Judices consuevisse privare Clericos perjuros suis beneficiis per renuntiationis modum: & si a Judicibus intenderetur prædicta renuntiatio, superflua esset; siquidem post sententiam prolatam de perjurio, statim Clerici privantur suis beneficiis, & si judex cogeret eos renuntiare, facta esset renuntiatio metu justo, valorem auctus minime impediente, ut dicemus *in c.* 1. *de his, quæ vi*. Nec quod asserit, renuntiationem non valuisse ex defectu auctoritatis Superioris, aliquid facit: nam cum in nostro textu quæstio principalis non esset, an renuntiatio valeret, neque, supponitur renuntiationem factam fuisse in manibus superioris. Hac igitur solutione omissa, verius dicendum est, quod etsi in nostro textu, & perjurium, & renuntiatio copulative scripta sint, ad hoc, ut a dicta præbenda amoveretur, unum tamen sufficit probare; quoniam perjurium per se, aut renuntiatio sufficit ad privationem præbendæ; & quando in judicialibus ad rem, de qua agitur, satis est alterum probari, etiamsi duo concipiantur dictione copulativa, necesse non est illa duo probare, ne quis supervacua probatione oneretur, argum. text. *in c. exhibita* 19. *de judiciis*, *c. significante* 69. *de app. c. cum sam dudum* 18. *de præb. in* 6. *l. stipulatio*, §. *ult. ff. ut legatorum*: in aliis vero extrajudicialibus actibus, cum pendeat a privatorum voluntate, natura dictionis copulativæ servatur, ut injuribus supra adductis docent, licet non ita exponant in præsenti, Felin. *n.* 11. Decius *n.* 8. Ripa *n.* 35. Sahagun *in fine*: & si hæc non placeant, responderi potest, copulativam in nostro textu poni pro disjunctiva, ex regula textus *in l. sæpe* 35. *ff. de v. s.*

f *Amoverentur.*) Inde deducit Balboa *in c. cum non ab hominis*, *n.* 13. *de judiciis*, perjurum in nostro textu ipso jure privari beneficio obtento: quod etiam probat *ex c. querelam* 10. *de jurejur.* ibi: *Removentes ab ipso*. Quare verba nudam executionem denotant, argum. text. *in c. Abbate* 25. *de v. s.* ibi: *Petat adjudicari eidem monasterio, & vos exinde amoveri*. Movetur etiam ex eo, quod renuntiatio, & juramentum æquiparantur in præsenti, sed renuntiatione ipso jure amittitur beneficium; ergo & perjurio, cum in æquiparatis dispositum in uno censeatur dispositum in alio, *c. de multa*, *de prob.* Sed contraria sententia videlicet in nostro textu privationem, & sententiam faciendam esse, probatur *ex c. in nostra*, *de proc.* ubi cum agatur de perjuro, deciditur ipsum a Tullensi Ecclesia per sententiam esse removendum, *c. ad petitionem*, *de accus.* ibi: *Per sententiam amoventes*, *c. posse electionem*, *de concess. præb.* ibi: *Poterit judiciario ordine experiri*, *c. fin. de jurejur. in* 6. Accedit, nam privationis pœna non incurritur, nisi in casibus a jure expressis, *auth. de non eligendis*, §. *sin autem*, *coll.* 2. Decent Suar. *l.* 1. *de legib. c.* 20. *& de censur. disp.* 40. *sect.* 2. sed ex nulla lege Ecclesiastica colligitur in hoc casu privationem incurri ipso jure, sed per sententiam, *c. ex litteris*, *de excessib. prælat. c. cum nostris*, *de concess. præb.* igitur nec perjurus, cum hæc delicta æquiparentur, *c. cum non ab homine*, *de jud.* quare sustineri non potest sententia Primarii nostri, nec ejus fundamenta obstant. Non primum deductum ex verbo, *amoveatur*; quod, ut probatum manet, potius importat privationem per sententiam, quam ipso jure. Nec secundum refragatur; nam æquiparatio perjurii, & renuntiationis in nostro textu, est quoad effectum, inspecto enim effectu, certum est idem operari perjurium, & renuntiationem; alterutrum enim sufficit, ut Clericus privetur beneficio, diverso tamen modo; perjurus per sententiam; renuntians ipso jure; unde in praxi perjurum non privari beneficiis, nisi per sententiam, docet Balboa *ubi supra*.

g *Adjudicasset.*) Eidem Gregorio adjudicasset, legitur *in* 1. *recollect.* in Concilio, *Eidem F. adjudicasset*; sed perperam, nam implicat præcipere Alexandrum F. præbendam adjudicari, si constaret ipsum de perjurio esse convictum, & perpetuo illi renuntiasse, cum cognito, & probato perjurio, jubeat ipse Alexander ab ea amoveri: quare aut retenta ea lectione legendum est, *adjudicasses*, ut *in c. inter cætera* 4. *hoc tit.* legitur, ut sensit Decius *in præsenti*, *n.* 2. aut legendum est juxta veriorem, & magis castigatam lectionem, *eidem G*, juxta Antonium August. *in notis ad* 1. *collect.*

h *Præcise.*) Idest, sine ullo juris remedio restituatur præbenda, ut docet Carb. in nostro textu *n.* 7. licet Butrius *hic*, *n.* 7. Panorm. *nu.* 5. Dec. *nu.* 42. existiment idem significare *præcise*, ac fine causæ cognitione. 8

i *Episcopum.*) Scilicet Conventrensem. 9

k *Potestate.*) Ut puniatur, in quo deliquit, *c. nemo de tempor. ord. lib.* 6. 10

l *Scripsisse.* In aliis Codicibus adjicitur, *& si scripsimus taliter, hoc ex nimia occupatione contigit*. Cum quibus verbis consonant text. *in c. si aliquando* 41. *de sent. excom.* ibi: *Cum per ignorantiam, aut occupationem nimiam, vel etiam surreptionem*, *c.* 2. *de filiis presbyt. c. ex parte* 12. *cum seq. de off. Legati*, *cap.* 3. *de Capellis monachor.* Cum enim Pontifex non concedenda concedit, magis per importunitatem, aut nimiam occupationem, quam ex mera voluntate concessisse intelligitur, *c. fin. hoc tit. in* 6. cum adductis a Glossa *c. cum in juventute* 12. *de purg. c.* notant Innoc. *in c. petitio*, *de jurejur.* Afflictis *dec.* 69. *n.* 4. quod jure Civili, & Regio admissum est, *l.* 2. *C. de summa Trin. l.* 1. *&* 2. *C. si nuptia ex rescripto petantur*, *l.* 1. *C. de fund. limitr. l.* 11. *l.* 1. §. *sed quoniam*, *de petit. bonor. l.* 10. *l.* 1. *tit.* 14. *l.* 4. *l.* 17. *tit.* 10. *l.* 5. *Recop.* Illustrant Sanchez. *de matr. l.* 4. *disp.* 7. Gasil. *eod. tr. l.* 4. *c.* 5. *n.* 17. Amaya *in l. unic. C. de oblat. votor. l.* 10. *n.* 65. *& in l.* 2. *C. de bonis vacantibus*, *n.* 16 Cabreros *de metu l.* 2. *c.* 3. *n.* 34. Navarrette *discursu* 24. 11

m *Litterarum.*) Unde præsumuntur falsæ, ut dicemus *c.* 3. *hoc tit.* 12

COMMENTARIUM.

Communiter a repetentibus ex hoc textu sequens deducitur assertio. *In rescriptis subintelligitur clausula: Si preces veritate nitantur. Et si rescriptum prohibeat causæ cognitionem, de falsitate suspectum est.* Primam partem conclusionis probant text. *in c. certum* 3. *c. ad aures* 8. *c. sedes* 15. *c. adeo* 17. *c. constitutus* 19. *c. super* 20. *c. dilecta* 22. *c. dilectus* 26. *hoc tit. c. grave*, *de off. Ordin. c. dicenti*, §. *etsi* 25. *q.* 1. *c. super eo* 5. *de cohabit. cler. c. inter dilectos*, *in fin. de fid. instrum.* *c. quia circa*, *de consang. l. fin. C. de diverf. rescript. l.* 4. *C. Theod. eod. tit. l. penult. & fin. C. si contra jus*, *vel utilit. l.* 3. *C. de in integ. restit. l. interposita* 13. *C. de transf. l.* 2. *C. de revocand. donat. l.* 1. *C. de natalib. rest. l.* 5. *C. de fide instr. l.* 48. *tit.* 18. *l.* 6. *tit.* 19. *l.* 57. *tit.* 8. *partit.* 3. Illustrant eamdem partem Martha, Tusch. Mascardus, & alii relati a Barbos. *de clausul. clauss.* 166. Trentacinq. *tit. de reser. c.* 59. *&* 60. Faber *in suo Codice*, *tit. de diversis rescript. definit.* 1. Basil. *de matrim. l.* 8. *c.* 16. Vighius *in meth. juris can. fol.* 17. Forner. *in not. ad Cassiodor. l.* 2. *epist.* 12. *n.* 2. Rebuff. *ad ll. Gallia*, *tit. de rescript. in pref. n.* 125. Valenzuela *cons.* 69. *n.* 90. Mornacius *in d. l. alt. C. de diverf.* Solorzano *to.* 2. *de jur. Indiar l.* 2. *c.* 8. *n.* 55. Hunnius *in encyclop. p.* 1. *tit.* 5. *c.* 1. Gutherus *l.* 1. *de officiis domus Augustæ*, *c.* 28. Valaschus *consult.* 153. Secundam partem nostræ assertionis probant textus *in l.* 4. *cum seq. C. si contra jus*, *l. meminerint* 6. *C. unde vi*, *l. prohibitum*, *l. defensionis* 7. *C. de jure fisci*, *l.* 10. *l.* 3. *& ult. C. de bonis vacant. cod. lib. l. quoniam* 21. *C. de appell. l.* 1. *C. quando hic unicuique*. Illustrat. Menoch. *l.* 12. *præsumpt.* 9. Tiber. Decianus *consil.* 49. *n.* 14. Sahagun & Canus *in præsenti* Mancin. *genial c.* 266.

Sed relatæ assertionis primæ parti obstat sequens consideratio: nam si in omnibus rescriptis subintelligeretur clausula, *Si preces*, *&c.* sequeretur, æqualiter vires non habere rescriptum impetratum per obreptionem, dolo, vel simplicitate: sed hoc est absurdum, ut late trademus *in c. super* 10. *hoc tit.* igitur prædicta clausula non subintelligitur. Secunda etiam pas nostræ conclusionis difficilis redditur ex eo; nam non potuit reddi de falsitate suspectum rescriptum in nostro textu, ex eo, quod per illud causæ cognitio inhiberetur, cum Pontifex ut juris formam servaret, deberet prædicto modo prescribere, nam cum F. R. Pontifici proposuisset, se injuste fuisse spoliatum præbenda, necessario ante omnia eum restitui præcipere debebat, sive F. ageret remedio spoliatorum, *c.* 1. *c. ex conquestione* 10. *de rest. spol. c. consultatione* 69. *de off. deleg. c. fin. de ord. cognit.* sive remedio attentatorum, *c. non solum*, ibi: *Ante omnia*, *de appel. in* 6. hoc est absque juris ordine, & causæ cognitione, *gl.* 1. *in Clem.* 2. *ut lite pend.* Igitur prohibitio cognitionis causæ non potuit reddere rescriptum de falsitate suspectum. 14 Impugnatur tradita assertio.

Ut prædicta assertio ab his, & aliis difficultatibus liberetur, sciendum est, rescripta communiter quinque partes obtinere. Primam appellant Pragmatici Corpus signaturæ; secundam Responsionem, sive concessionem; tertiam Clausulas; quartam Datam; quintam Signaturam: In prima parte, hoc est in corpore signaturæ, continetur narratio ejus, quod postulatur, quod communiter preces dicimus, *l.* 2. *C. de inst. & substit. l.* 3. *C. de dub. reis*, *l. cum precibus* 18. *C. de prob. l. precibus*, *C. de impub.* nomina etiam debent explicari, tam supplicantis, quam ultimi possessoris beneficii, si de beneficio obtinendo agatur, *c. cum adeo*, *hoc tit.* qualitas personæ supplicantis, si Clericus, si regularis, laicusve sit, *c. porrecta*, *de confir. utili*; si in dignitate constitutus, *c. ad aures* 17. *de resc. c. ex litteris*, *de transf.* Formam supplicationis in ipsis libellis comprehensam apud Romanos legimus *in l. Divus* 33. *de re jud. l.* 1. *Dect.* 3. *de alim. legat. l. de precatio*, *ff. ad leg. Rhodiam de jactu*, juncto D. Joseph. de Retes *in l.* 8. §. *relegati*, *de interdictis*, & aliis congestis a Brissolio *fol.* 344. Hodie preces legitime propositæ proponuntur coram Referendariis Signaturæ, vel Gratiæ, vel Justitiæ, juxta qualitatem negotii, de quibus signaturis plura Gomez. *ad regul. Cancell. in præem.* Octav. Vestr. *in praxi*, *l.* 1. *per tot.* Cohelius *in notit. Card. c.* 15. *congr.* 12. Ut ad secundam partem, videlicet responsionem, seu concessionem perveniamus, sciendum est, supplices libellos tres ex Referendariis ejusdem Signaturæ, aut Justitiæ, aut Gratiæ referre R. Pontifici; & tunc si preces gratiam contineant, respondet per verba, *placet*, aut *fiat*; quibus statim fit gratia, *c qui bona*, §. *sicut*, 17. *q.* 1. Gomez. *in compendio utrinsque signatura*, *q.* 16. si vero justitiam postulant, rescribit: *Audiat talis Episcopus, & justitiam faciat*. P. Greg. *de reser. c.* 41. quam formam dandi Judices, ab Imperatoribus usitatam invenio *in l.* 1. *C. qui patant tutores*, *l.* 1. *C. si tutor, vel curator*, *l.* 1. *C. de lib. caussa*, *l. Præses* 5. *C. de pignor. l. si quis* 3. §. *idem*, *ff. de lib. agnoscend.* quod Pontificis responsum Regens Magnæ Cancellariæ scribit, & tunc Abbreviatores, qui existunt in parco majori, aut minori, hæc rescripta brevi verborum compendio impetrata in ipsis rescriptis extendunt. P. Greg. *l.* 15. *syntagm. c.* 42. *n.* 3. Octav. *d. l.* 1. *c.* 4. *n.* 2. Cohel. *c.* 24. Isti Scriptores, & Abreviatores ad solicitatores litteras deferunt, quorum alter nomen suum paulo inferius a nomine ipsius scriptoris in dicta Bulla apponit, & si annata solvenda fit ex ipsis, qui vocantur Janiceri, pro fide sui officii apponunt illa verba: *Pro annata solvitur tot*; de quorum officiis agunt Vergil. *l.* 8. *de invent. c.* 2. Pavinus *in vita Sixti IV.* Cohel. *in notis. c.* 25. postea litteræ deferuntur ad Registratores, de quibus Cohel. *sup. c.* 26. 15 De partibus rescripti.

16 De clausulis.

In tertia parte rescripti apponuntur clausulæ, quæ modo restringunt, modo exponunt dictam confessionem: eas recensuerunt, & cumularunt Martha, & Barb. *in suis tractatibus de clausulis*, Bayo *in praxi*, *l.* 1. *c.* 3. *per tot.* Ex eis, etsi non apponatur, aliquæ insunt, & tacite veniunt, ut clausula; *Si ita est*, *c. ex parte* 12. *hoc tit.* ubi dicemus: & *Si preces veritate nitantur*; de qua in nostro textu. Aliæ expresse apponuntur, ut clausula: *Appellatione remota*; de qua *in c.* 1. *hoc tit. & Quod si non omnes*; de qua *in c. scisciatis*, *hoc tit.* Sequuntur post clausulas *data*, *& signatura*, de quibus agemus *in c. plerumque*, *hoc tit.*

17 Traditur ratio decidendi.

Cum ergo clausula, *Si preces veritate nitantur*, his verbis, vel æquipollentibus apponi soleat in rescriptis, *l. interpositas* 13. *C. de transf.* ibi: *Si vera sunt, quæ precibus complexus est*; *l.* 2. *C. de transf.* ibi: *Si apparuerit*; *l.* 5. *C. de fid. instr.* ibi: *Intelligere debetis; probari debere fidem vestris precibus adesse*; *l.* 2. *C. res int. al. act.* ibi: *Adito Præsidem provinciæ*; & probat Brissonius *de form. fol.* 331. etsi non apponatur, habetur pro adjecta, ex regula textus *in l. quod si nollit* 31. §. *qui assidua* 20. *ff. de edilit. edict. l. ult. C. de fidejussor. c. accepimus* 13. *de ætat. & qualit. l.* 4. *ff. de l. commissoria*; clausulæ enim, quæ frequenter apponuntur, etsi omittantur, habentur pro appositis, ut docent Cujac. *l.* 4. *Paulii ad Edict. in l.* 4. *ff. de pact. & l.* 15. *in l.* 2. *de publ. jud.* plures relati a Barb. *de claus. c.* 1. & si preces veritate careant, rescriptum enim a supplicationis forma, & supplicantis veritate vires accipiunt, *c. super eo. hoc tit. c. inter*, § *ceterum*, *de fide instr. l. etsi legibus* 5. *C. si contra jus*: nec creditur Pontificem illa rescripta concessurum, ubi preces veritate destituuntur; cum enim Pontifex rescripta concedit, si preces falsæ sint, creditur ex propria voluntate non concessisse, *c. fin. hoc tit. in* 6. sed ex nimia occupatione, ut in nostro textu docetur, & *in c.* 1. *hoc tit.* ibi: *Et si taliter scripsimus, hoc ex nimia occupatione contigit*. Et ita veritas precum a judice inquiri debet, etsi non cognitio, sed sola ei executio mandetur, *l.* 4. *C. Theod. de diverf. rescr.* transcripta *in l.* 4. *C. si contra jus*. Cassiod. *l.* 2. *variar. c.* 18. *Unde providentia vestra pro integritatis sua proposito, examinata veritate discutiat, quæ veniunt in querelam, & si desideria petitorum veritatem subsistant*. Et apud Romanos hoc proprium erat Rectorum provinciæ, *l. cum proprio*, *C. si quis alteri*: quod *in d. l.* 4. Consularibus Campanæ committitur, & eamdem formam Prætores videntur secuti *in l.* 3. *ff. de integ. rest.* Pro secundæ partis præsentis conclusionis ratione sciendum est, causæ cognitionem a Principibus adimi non solere, ne inaudita parte proferatur sententia, *c. nos* 1. *c. judex* 22. *q.* 1. *c. Episcopus* 1. *c. placuit* 3. 2. *q.* 6. *c. conquerente*, *de rest. spol.* quo pertinent textus *in l.* 1. *de exec. rei judic. l.* 6. *C. unde vi*, *l.* 4. *cum seq. C. si contra jus*: ex quibus deducitur, rescriptum impetratum, quod causæ cognitionem adimat, falso exortum esse, impuneque contemni posse. In quam etiam partem post antiquiores, Canisius *in nostro c. n* 9. commendat text. *in l. prohibitum*, *C. de jure fisci*, *l.* 10. cui adjungendi sunt textus *in l. defensione* 7. *C. eod. tit. l.* 3. *& ult. C. de bonis vacan. l.* 10. *l.* 1. *C. quando liceat unicuique*. Unde cum Pontifex causæ cognitionem non soleat adimere, imo in negotiis forensibus cognitionis ordinem servet, *cap. cum dilectus* 6. *de for. comp. c. in caussis* 19. *de re jud.* non creditur Pontificem suo rescripto velle prohibere cognitionem. Accedit, nam utriusque juris notissimum principium est, inaudita parte sententiam proferendam non esse, ne inde absens, & irrequisitus prægravetur, *c.* 1. *de caus. possess. d. l.* 6. *C. unde vi*: sed non creditur Pontificem rescripto suo velle alicui præjudicium inferre, *l.* 2. *ff. si quis a Principe*, *ff. ne quid in loco publico*, *c. super eo* 15. *de offic. delegati*, *l. ad aures*, *hoc tit. c. licet*, *de offic. Ordin. l. nec avus*, *Cod. de emancip. lib. si quis sepulchrum*, *ff. de relig.* igitur non præsumitur rescripto suo velle causæ cognitionem inhibere. Accedit etiam, nam clausulæ, quæ sunt prorsus alienæ a stylo, & fori consuetudine, etsi de facto inveniantur in rescriptis, non creditur ex voluntate concedentis adjectas esse, & sic de falsitate redduntur suspectæ, *c. licet* 10. *c. quoniam* 11. *de crimin. falsi*, *l* 2. *C. de pracibus*, Farinac. *de falsitate q.* 163. *n.* 150. Menochius *l.* 5. *præsumpt.* 5. *o nu.* 103. Maschard. *de prob. concl.* 780. *n.* 37. 18 Dissolvitur dubitandi ratio.

Nec obstat difficultas supra expensa; nam etsi in rescripto subintelligatur clausula, si preces veritate, &c. id procedit, ut judex, cui missum est rescriptum, possit inquirere de veritate precum, non tamen, ut rescriptum sit conditionale, ut nullum ipso jure per obreptionem, ut dicam *in c. super eo*, & docet Mancin. *d. c.* 266. Nec obstat argumentum difficultatis, quod tanti fuit ponderis, ut doctissimum virum cogeret affirmare, rescriptum in nostro textu falsitatis suspectum esse, non quia sub clausula, ut fine causæ cognitione procederetur, fuisset impetratum; sed quia non facta mentione priorum litterarum interpetatum fuit: & tunc, ut falsum præsumitur *ex c. ceterum*, *hoc tit.* Sed hæc solutio nostræ, & communi interpretum explicationi adversatur; quare ea omissa dicendum est, rescriptum in nostro textu, non solum de de falsitate esse suspectum, quia impetratum fuerat non facta mentione prioris, sed quia impetratum fuerat cum prædicta clausula, *precise*, *& sine caussa cognitione*. Cum enim qui coram Pontifice conqueritur se spoliatum esse, & rescriptum petit, ut restituatur absque ulla causæ cognitione, a huc probare coram delegato debet veras fuisse preces Pontifici factas, *d. c. super* 20. *vers. Nisi forte*, *c. ex parte* 33. *vers. His igitur*, *hoc tit. c. significantib. de offic. deleg.* docent Gl. *in c.* 1. *eod. tit. l.* 6. *observ. c.* 13. quæ probatio excludebatur per dictam clausulam, *precise*, *& sine caussa cognitione*; cujus clausulæ ea est vis, ut nulla dilatione statim restituatur; non creditur Pontificem ita rescripsisse, ut examen, & probationem precum inhiberet ut in nostro textu docetur. 19 Intelligitur c. dicenti, c. Universa, 25. q. 4.

Nostræ assertiori aperto marte opponitur textus *in c. dicenti*, §. *universa*, 25. *q.* 7. ubi deciditur expresse, in rescriptis Principum esse exprimendam clausulam, *Si preces veritate nitantur*: & si omittatur prædicta clausula, tam litterarum imperatores, quam magistros scriniorum amissione cinguli puniri. Ex qua decisione colligitur, dictam clausulam, *Si preces*, *&c.* non inesse tacite in ipso rescripto, alias ad quid tam diligens emendatio in eos, qui illam omiserunt? Cui difficultati, ut satisfaciat Basil. *de matrim. l.* 8. *c.* 16. *n.* 3. existimat *in dict.* §. *universa*, qui deductus est, *ex l. universa*, *C. de diverf. rescr.* non præcipi, quod exprimatur ea clausula in quolibet rescripto, sed quod omne rescriptum censeatur concessum sub ea clausula, licet non exprimatur; & rationem ex eo deducit, quia in jure paria sunt, quod subintelligatur, & quod exprimatur, quando eodem modo exprimitur quod inest, *c. significasti*, *de elect. l.* 3. *ff. de leg.* 1. Sed hæc solutio non placet; nam si ibi decideretur, clausulam inesse, ad quid ita gravi pœna plectantur magistri scriniorum? siquidem jure nostro ex eo, quod prædicta clausula inest, nullam pœnam incurrunt Abbreviatores, vel Referendarii Apostolici. Hac solutione & aliis traditis a Sahagun *in d. c.* 2. omissis; dicendum est cum communi interpretum plausu, discrimen constituendum esse inter jus Canonicum & Civile; jure enim Canonico clausula illa, *Si preces*, *&c.* tacite inest, etsi non exprimatur; jure vero civili necesse est, ut exprimatur; & sic jure Cæsareo attento, procedit text. *in d.* § *qui universas*, qui cum deductus sit *ex d. l. qui universas*, etsi reperiatur apud Gratian. tamen eamdem auctoritatem habet, ac si in Codice Justiniano esset, ut dixi late in Apparatu: quam solutionem tradunt ordinarii in nostro text. Canisius *n.* 7. Didac. Perez *in l.* 1. *tit.* 12. *l.* 3. *ordin. q.* 14. Gaill. *l.* 10. *observ. c.* 14. Sanch. *l.* 1. *de matrim. disp.* 18. *n.* 21. Gothofr. *in d. l. qui universas*. 20 Exponitur c. quoniam 10. de fil. presb.

Secundo nostræ assertioni adversatur textus *in c. quoniam* 10. *de filiis presbyt.* ubi Archiepiscopo Cantuar. rescribitur sub illa formula: *Nolumus enim, ut caussa in judicium deducatur, vel testes etiam admittantur*. Quibus verbis docetur, rescriptum, per quod causæ cognitio inhibetur, validum esse, contra præsentem Alexandri decisionem. Pro cujus textus interpretatione sciendum est, in aliquibus negotiis causæ cognitionem non desiderari, & tunc posse inhiberi per rescriptum absque vitio falsitatis, quia consonum est juri communi, & in eis negotiis ab executione incipitur, ut in casibus, qui moram non patiuntur; veluti in novi operis nuntiatione, *c.* 1. *de novi oper. nuntiat. l. Prator.* 20. §. *ait Prator*, *ff. eod. tit.* vel quando timetur periculum, ne partes ad arma veniant, *l. æquissimum*, alias, *si usus fructus* 6. §. *sed inter*, *ff. de usufructu*, *l.* 1. §. *Illud autem*, *ff. uti possidetis*; si super re notoria caussa disceptetur; statim enim sententia ferri potest, *c. licet*, *de sim. c. evidentia*, *de accusat.* quare cum *in d. c. quoniam*, ageretur de re notoria, & manifesta, ideo causæ cognitio potuit inhiberi, quia caussa per se eam non exigebat: docens Sahagun & Canisius *in præsenti*.

CAPUT III.

Idem a *Vvintoniensi Episcopo*.

CEterum si aliquis super aliqua caussa ab Apostolica Sede impetraverit litteras, & adversarius ejus eamdem caussam postmodum obtinuerit committi aliis, de commissione priore non habita mentione, priores Judices ad decisionem caussæ possunt procedere, nec secundæ litteræ obtinent alicujus roboris firmitatem. Si vero in secundis litteris habeatur mentio de commissione priori, prædicta caussa a priorum est exempta judicio; cum eædem litteræ non sint veritate tacita impetratæ. Verum si assensu partium caussa committitur, & processu temporis, vel etiam continuo alterutra pars, altera nesciente, caussam ipsam, tacito de commissione priori, alii Judici obtinuerit delegari, non immerito is, qui tali dolo, vel fraude adversarium suum laborare coegit, in expensis condemnari debet eidem.

NOTÆ.

1 *Vvintonia ubi.* a *Vvintoniensi.*) ita etiam legitur *in 1. collect. sub hoc tit. c.* 3. ubi additur pars capitis *quamvis*, ut cognoscatur in præsenti referri partem text. *in c. quamvis, de offic. deleg. c. quamvis*, alias *illud, de jurepatr. c. quamvis, de testib. in collect. c. quamvis de testibus cogendis, in ead. collect.* Vvintonia est Civitas Angliæ, cujus Episcopus suffraganeus est Archiepiscopi Cantuar. ut refert Vergil. *l.4. hist. Angliæ, fol.*85. cujus Ecclesiæ Cathedralis mentio fit *in c. Vvintoniensi* 25. *de elect. c.* 3. *de offic. Vicarii, c.*3. *de dolo, c. per tuas, de appell.* & aliis.

COMMENTARIUM.

2 *Conclusio probatur.* EX hac epist. sequens deducitur communiter assertio: *Si in secundo rescripto per adversarium impetrato, non fiat mentio primi, non secundum, sed primum sustinetur.* Probant textus *in c. si autem* 9. *c. ex par.* 2. *c. cum dilecta* 22. *c. plerumque* 23. *c. cum contingat* 24. *c. ex tenore, hoc tit. c. caussam, quæ* 2. *de judiciis, c. ex tua, de filiis presbyt. c. pastoralis* 28. *c. ex litteris* 29. *c. coram* 34. *de offic. deleg. c. sicut nobis, de offic. Vicarii, c.* 2. *de dolo & contum. c. audita* 4. *de rest. spol. c. penult. de præscr. c. inter* 29. *de re judic. c. cum teneamur* 20. *de præb. c. cum nostri* 6. *de concess. præb. c.* 2. *hoc tit. l.* 6. *c. dudum* 31. *de privileg.* Consonat lex 27. & 39. *tit.* 18. *partit.* 3. Illustrant Sanch. *l.* 8. *de matrim. disp.* 21. *n.* 3. Basil. *eod. tr. l.* 8. *c.* 17. §. 1. Guttier. *l.*1. *canonic. c.*15. Molina *l.*2. *de primog. c.*4. *n.*5. Salas *de leg. disp.*17. *sect.*14. *n.*71. Suar. *eod. tr. l.*8. *c.*39. *n.* 5. Petr. Greg. M. Uranius, Ant. de Burgos, Prosperus Fagn. *ad hunc text.* plures quos congerunt Luna & Arellanus *l.*1. *antinom.* 1.

3 *Adducitur dubitandi ratio.* Hæc tamen conclusio ita illustrata ingentes patitur dubitandi rationes. Prima ex eo nascitur; nam rescripta inter partes, a quibus, & contra quas impetrantur, pro legibus habentur, & vim legum obtinent, *l. ultim. C. de legibus, c. in caussis* 19. *de re judic. c. licet* 15. 16. *q.* 3. *licet* 3. *de sponsa duorum*: & ideo post titulum *de constitutionibus*, statim sequi præsentem de rescriptis, omnes antiquiores in hac rubrica notarunt, & Valensis, Honorius, Canisius, Legaufre, Chassaneus, Gofredus, Vasconcellos, & Cironius *in paratit. l. ad hunc tit.* Petrus Gregor. *ad hunc tit. c.* 1. sed leges posteriores, etsi de prioribus mentionem non faciant, valent, & istæ ab illis derogantur, *l. sed & posteriores, ff. de legibus, c.* 1. *de constit. l.* 6. ubi probat D. Mich. Moez; sicut contingit in pactis, quæ inter paciscentes pro legibus observantur, *l. si unus* 27. §. *pactus, ff. de pactis, l. pacta* 12. *C. eod. tit.* & in judiciis, ubi nova voluntas potior est, *l. in duobus* 28. §. *ult. ff. de jurejur.* in constitutione Procuratoris, *l. si quis* 31. §. *Julianus, ff. de procur.* in testamentis, *l. si quis; in princ. ff. de legat.* 1. *l. si quis priore* 29. *ff. ad Trebel.* in codicillis, *l. Div.* 6. §. *licet, ff. de jure codicil.* ergo etiam rescripta posteriora, etiam nulla mentione facta priorum, valida sunt, cum novissimam contineant voluntatem. Augetur primo hæc difficultas *ex c. sicut* 9. *plerumque* 23. *hoc tit.* ubi aperte deciditur, quod si ille, qui primo impetravit rescriptum, conveniatur auctoritate posterioris ab adversa parte impetrati, & postquam conventus est, intra annum suo primo rescripto, aut ob malitiam, aut ob ignorantiam non utatur, potest per secundas litteras conveniri, etsi in eis de prioribus mentio non fiat. Nec difficultatem effugiet, qui dixerit, quod jus prioris rescripti per non usum fuerat amissum, & sic secundum vires habere; nam tunc obstabit, quod secundum rescriptum prioris mentionem non faciens fuit ab initio nullum, ex supra traditis pro illustratione conclusionis: ergo tractu temporis, videlicet per lapsum unius anni, convalescere non poterat, ex regula legis *quod ab initio, ff. de reg. jur.* & in specie probat text. *in c. pastoralis* 14. §. 2. *hoc tit.* Augetur secundo dicta difficultas ex illis verbis præsentis text. *In expensis condemnari debet eidem*; in quibus docetur, partem impetrantem secundum rescriptum omissa primi mentione, condemnari in expensas litis occasione secundi rescripti motæ: ergo non ita nullum est secundum rescriptum, ut nihil operetur: siquidem eo convenire potest cum effectu adversarios. Secunda difficultas militat adversus posteriorem partem præsentis assertionis, ubi docetur primum rescriptum post secundi impetrationem, nulla ejus facta mentione, validum, & utile manere; & nascitur *ex c. sane* 2. *de offic. deleg.* ubi statuitur, quod si duo rescripta fuerint impetrata, & in secundo non fiat prioris mentio, nec primum, nec secundum prævalere, sed consulendum esse R. Pontificem, & interim in utriusque executione supersedendum. Igitur quia primum non prævalet neglecto secundo.

4 *Rescripti etymon.* Quibus difficultatibus minime obstantibus vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, *rescribere*, varie accipi in jure, & apud bonæ notæ Auctores, ut videre est apud Brisson. Pratejum, & alios Lexicographos. Plerumque accipitur pro responsione ad consultationem, seu desiderium alterius, ut apud Ovidium *l.* 1. *ep.* 1. *Nihil mihi rescribas.* Martial. *l.* 2. *epig.* 9. *Scripsi, rescripsit Mævia.* Ideo Jureconsulti, cum de jure respondebant, rescribere dicebantur, *l. ex contractus* 44. ibi: *Rescripsit, ff. de re judic. l. Aristo* 46. *ff. de manumiss. test. l.*3. §. 1. *ff. de bonor. poss.* §. *sacræ, Inst. & rer. divis.* ibi: *Papinianus rescripsit*: ubi responsum Papiniani intelligitur; quod extat *in l. ædes sacra* 63. *ff. de contrah. empt.* qua etiam in significatione rescripta accipiuntur pro responsis Principum factis ad desideria subditorum aliquid implorantium. Moris namque fuit apud veteres, ut aliquid a Principe impetraturi, præsentem etiam Principem scripto adirent. Sveton. *in Augusto, c.* 53. Tacitus *l.* 4. *annal.* Brissonius *l.* 3. *select. c.*7. Revardus *in l. omni* 71. *ff. de reg. jur.* quo respiciunt text. *in l. libertum* 15. *ff. de in jus vocando, l. item* 15. §. *si quis libello, ff. de injuriis, l. quæsitum* 5. *ad Turpil.* Princeps vero lectis libellis subscribebat, *l. non distinguemus* 32. *cum quidem, ff. de recept. arbitr.* quæ subscriptio ad libellos supplices supplices facta rescriptum dicebatur, *d. l. libertus* 25. *l. ejus* 4. *ff. de appell. l. licet* 23. *de usufr. legato*; rescribebantque Imperatores, vel ut satisfacerent desiderio privatorum, ut *in d. l. non distinguemus,* §. *tum quidam, l. cetera* 41. §. *hoc., de legat.* 1. vel ut responsum darent consultationi eorum, qui juri dicendo præerant, *l. si quis filio* 60. *ff. de injusto rupto, in* §. *quid tamen*: unde in jure civili frequens est rescriptorum mentio, *in l. pen, ff. de integr. rest. l.* 3. *ff. de bonis libert. l.*7. *ff. de custodia reorum, l. fin. ff. de testam. milit. l. a D. Pio, in princ. ff. de re judic. l.* 1. §. *cui, l. is a quo* 3. §. *ult. l. is cui* §. *Imperator, ff. ut in possess. legat.* & aliis congestis a Brissonio *de v. s. verbo Rescriptum.* Quo etiam in sensu rescripta in præsenti titulo accipiuntur pro litteris Pontificis, quibus ad desideria supplicantium aliquid rescribit.

5 *De rescriptis nullis.* Deinde sciendum est, rescripta Pontificia impetrantibus aliquando inutilia esse, & sine effectu, veluti ob falsi suspicionem, *c. inter, de fide instr. c. licet* 7. *de crimine falsi*; propter insolitum idioma, *c. ad audientiam* 11. *hoc tit.* propter omissum stylum Curiæ, *c. quam gravi* 6. *de crimine falsi*; si sine die & Consule scripta sint, *l. si qua* 4. *C. de divers. rescr.* si quid contineat rescriptum in injuriam alterius, *l. si socium, l. nec damnosa, l. rescripta, C. de precib. Imperat. offer. l nec avus, C. de emancip. liber.* aut si per obreptionem, vel subreptionem impetretur, *c. super* 20. *hoc tit.* vel si impetrans inhabilis sit, veluti excommunicatus, *c. dilectus* 27. *hoc tit.* vel si alieno nomine impetretur sine speciali mandato, *c. nonnulli* 28. §. *finali, hoc tit.* Aliquando etiam rescriptum inefficax est, veluti si quis plures litteras ad diversos judices impetraret, non facta priorum mentione, *c. ex tenore* 16. *hoc tit.* vel si per secundum rescriptum primum revocetur, ut in præsenti textu: quos & alios casus prosequuntur repetentes ad hunc titulum.

6 *Traditur ratio decidendi.* Quibus suppositis ratio præsentis decisionis ex eo provenit, nam cum rescripta a petitionis forma effectum, & intellectum accipiant, *c. sedes* 15. *c.* 20. *hoc tit. c. inter* 6. §. *ceterum, de fide instr. l. etsi legib. l. fin. C. de divers. rescr.* inde qui rescriptum impetrat, tenetur Pontifici proponere omnia ea, quæ ad caussæ justitiam spectant, quæque ipsum ad rescribendum, vel non, movere possunt; & si veritatem suppressit, vel falsitatem expressit, vitiatur rescriptum, *c. super* 20. ubi dicemus, *hoc tit.* Quare cum ille, qui impetravit secundum rescriptum, tacuisset primum jam in ipso negotio præcessisse, quod si sciret Pontifex, secundum non concederet, *c. sane* 2. ibi: *Si memores fuissemus, de offic. deleg.* ideo per istam suppressionem veritatis rescriptum, ut subreptitium nullius momenti est, *ex d. c. super litteris*: & cum ille, qui secundum impetravit rescriptum mentione primi non facta, eo animo faceret, ut adversarium diversis sumptibus vexaret, *c. coram* 34. *de offic. deleg. c. inter* 20. *de re judic.* merito punitur in expensis, & sumptibus litis, ut in eo puniatur, in quo delinquit, juxta text. *in c. nemo, de temp. ordin. l.* 6. Si vero in secundo rescripto fiat mentio prioris, prævalet secundum, quia cum non fuisset tacita veritate impetratum, non possunt in uno eodemque negotio; tam primum, quam secundum rescriptum observari, necessarium est, ut posterius deroget priori, ex vulgatis principiis text. *in l. non est novum* 22. *ff. de leg. l.* 1. §. *servis, ff. de quæstion. l. si quis, in princ. ff. de legat.* 1.

7 *Dissolvitur dubitandi ratio.* Nec obstat prima difficultas supra adducta; nam omissa quæstione, an rescripta vim legis habeant inter ipsos impetrantes, dicendum est magnum discrimen versari inter revocationem legis & rescripti; nam lex posteriori derogat priori, data scientia prioris legis in legislatore; tunc enim per posteriorem abrogatur prior: at in dubio cum ignorat priorem legem, ejus revocatio nullatenus præsumitur, argumento text. *in c. ex litteris, de*

offic.

offic. deleg. l. eum qui, ff. de prob. quod facilius procedit in rescripto, nam etsi credatur Principem notitiam habere omnium, *l. omnium, C. de test. c.* 1. *de const. l.* 6. tamen quia rescripta ad privata negotia spectant, nec creditur Principem eorum notitiam habere, majori ratione non præsumitur derogatio prioris per posterius, nisi facta expressa primi mentione. Nec obstat primum argumentum ipsius difficultatis deductum *ex d. c. si autem* 9. *c. plerumque, hoc tit.* quia licet rescriptum secundum, non facta prioris mentione, vires non habeat, non tamen est ipso jure nullum, sed ita demum si exceptio adversario opponatur: unde si adversarius negligens sit per annum, & non utatur priori rescripto, quia in pœnam negligentiæ privatur jure quæsito ex priori rescripto, non potest opponere amplius exceptionem contra secundum, & sic secundum non coalescit tantum lapsu temporis, quantum virtute legis Canonicæ, quæ disponit, ut ita demum privetur impetrator commodo rescripti, si per annum eo non utatur. Ita prædicta jura accipiunt post antiquiores, Mascar. *de prob. concl.* 110. Menoch. *de arbitr. casu* 202. *n.* 76. & *casu* 204. Germon. *l.* 1. *animadv. c.* 14. Fachineus *l.* 8. *controv. c.* 6. Nec secundum argumentum deductum ex illis verbis nostri text. *In expensis condemnari*, adversatur: cui, omissis traditis a Butrio *in præsenti, n.*13. Hostiensi *n.*3. respondendum est ex supra tradito principio, videlicet quod cum rescriptum secundum impetratum nulla facta prioris mentione, non sit ipso jure nullum, imo subsistat, donec per exceptionem elidatur, ideo judices in eo designati jurisdictionem habent: quare si pars, quæ impetravit secundum rescriptum coram judicibus in eo designatis illud præsentaverit; & adversariis comparaverit ad exceptionem elidendam, juste damnatur in expensis. Nec contrarium probant illa verba nostri text. *Nec secundæ alicujus litteræ roboris obtinent firmitatem*: nam ea verba non significant, statim rescriptum nullum esse, sed quoad effectum pro invalido haberi, opposita exceptione, ut contigit in his, quæ metu fiunt, *c. ad audientiam* 4. ibi: *Carere debeant robore firmitatis; de his quæ vi*: docent Anton. de Burg. *in præsenti*, Arellanus *d. antin. n.*1.

8 *Exponitur c. sane 2. de offic. deleg.* Nec secunda difficultas, deducta *ex d. c. sane* 2. *de offic. deleg.* refragatur, pro cujus interpretatione varia adducunt Abbas, Felin. Decius, & Zabarella *in eo textu*; qui existimant, ibi rescripta fuisse ejusdem datæ: & cum constare non possit, quod primum, quod secundum esset, ideo R. Pontificem esse consulendum, ut cognosceretur, cujus virtute esset in judicio procedentium. Sed hæc licet solutio communi antiquiorum calculo approbata sit, refellitur ex ipso textu in illis verbis, *Non facta mentione priorum litterarum*; ubi supponitur jam tempore datæ secundi rescripti, præcessisse priores litteras. Omissa ergo hac solutione, communiter placuit Antecessoribus nostris illa interpretatio; videlicet *in d. c. sane*, tam primum, quam secundum rescriptum impetratum fuisse ad unos, eosdemque Judices, tantum variata formula; quo casu cum tantum in forma dubium emergat, non vero in judicibus, valebit secundum rescriptum, cum deficiat ratio nostræ conclusionis: nullis enim sumptibus adversarius vexatur, siquidem coram ipsis judicibus semper convenitur; nec diversitas tantum formæ inducit falsitatis suspicionem; forsan enim Pontifex æque concederet secundum rescriptum sub diversa forma, iisdem tamen judicibus committeret, ut pro illius textus expositione considerant Barb. ibi, P. Greg. *in præsenti, l.* 8. *de matrim. c.* 16. §. 2. *n.*14. Menoch. *de arbitr. casu* 438. Angujan. *l.* 1. *de legib. c.* 5. Arellanus *dict. antin.* 1.

9 *Intelligitur c. pastoralis 14. hoc tit.* Secundo nostræ conclusioni obstat textus *in c. Pastoralis* 12. *in princ. hoc tit.* ubi proponitur secundum rescriptum fuisse impetratum, cum jam adversarius primum impetraverat. Quæstionis fuit, utrum Judices assignati, tam in primo, quam in secundo rescripto, possint de caussa cognoscere? Et respondet Pontifex, tam unos, quam alios judicare, & cognoscere de meritis caussæ; ita ut si inter eos aliquod dubium emergat, arbitri ex consensu partium eligantur, per quos possit terminari. Ex qua decisione deducitur, rescriptum secundum non facta primi mentione impetratum, vires obtinere, contra supra tradita. Cui difficultati satisfaciendum est asserendo, ideo judices in eo textu, tam primi, quam secundi rescripti cognoscere posse, quia nec jure, nec facto cognosci valebat revocatio litterarum; alioquin si appareret, vel ex jure, vel ex facto aliquod ex eis rescriptis affectum esse vitio subreptionis, vel obreptionis, ambigua caussa non esset, ut *in d. c.* erat, ibi: *Ambigitur*; quo casu omnes cognoscunt, quia quilibet habens jurisdictionem, sive ordinariam, sive delegatam, eam exercere, defendereque potest, *c. cum personæ, de priv. in* 6. & si judices in sententia proferenda non consenserint, tunc eligendi erunt arbitri, a quibus dissidium componatur. Ita illum textum accipiunt Jacobus de Zochis *in repetit. ad hunc text.* & alii congesti a Sahagun *hic, n.* 12. Martha *de jurisdict.* 2. *p. c.* 4. *per totum.*

10 *Explicatur c. audita 3. de rest. spol.* Tertio opponitur text. *in c. audita* 3. *de rest. spol.* ubi proponitur, post primum rescriptum, secundum facta prioris mentione fuisse impetratum ab adversario sub diversa forma: & deciditur, priores litteras per secundas non revocari, nec acta virtute prioris rescripti irritari. Igitur licet secundum rescriptum primi mentionem faciat, primum sustinetur. Pro cujus textus expositione dicendum est, quod licet per rescriptum secundum prioris expressam mentionem faciens, primum irritetur, non tamen statim, sed ita demum si secundum præsentatum fuerit, & ejus virtute procedatur. Cum enim secundum rescriptum illam habeat conditionem: *Si eo utatur pars, quæ illud impetravit*; & ipsa possit eo non uti, interim processus factus virtute rescripti vires habet, nisi rescriptum secundum, non solum expressam mentionem primi habeat, verum & clausulam revocatoriam, in hunc, vel similem modum conceptam: *Revocamus commissionem factam, & decernimus irritum, & inane quidquid ex nunc fuerit gestum virtute dictæ commissioni;*. Tunc enim omnia virtute primi rescripti gesta irritantur, *c.* 1. *de concess. præb. in* 6. *Clement. eod. tit.* docet post antiquiores ibi Cov. *pract. c.*9. Manciu. *genial. c.*256.

11 *Opponitur c. ut debitus appel.* Quarto superiori assertioni adversatur in text. *in c. ut debitus, de appell.* ex cujus serie deducitur, in concursu prioris, & posterioris rescripti, illud prævalere, quod prius coram judicibus fuerit præsentatum. Ergo secundum rescriptum vires habet, etiam non facta primi mentione, aut ea facta, adhuc primum sustinetur; siquidem tantum inspicitur tempus præsentationis litterarum. Pro cujus textus explicatione, omissis traditis a Berojo *in c.* 1. *hoc tit. n.* 57. Narbona *in l.* 59. *gl.* 1. *tit.*4. *l.* 2. 2. *Recop.* dicendum est, ibi unum ex litigatoribus conventum fuisse coram ordinario, & ante diffinitivæ sententiæ prolationem ab aliquo gravamine appellasse: unde ex eo, quod appellationis interpositæ nuntium ad Pontificem destinaverat, vel litteras ab eo impetraverat, contendebat non teneri coram judice ordinario justitiam suam prosequi; & deciditur, excusari non posse ex eo, quod dicat se prius rescriptum impetrasse, quo assignabatur judex de ea cogniturus, nisi illud præsentaverit coram judice delegato, ex ratione adducta in principio textus, videlicet ut honor judicibus deferatur, & expensis ac laboribus partium obvietur; quæ interpretatio colligitur, tum ex illis verbis: *Coram idoneo judice*, quæ communiter ad ordinarium judicem referuntur, *c.* 1. *de offic. ord. c. significasti, de for. comp.* tum etiam ex illis, *ad superiorem judicem*, in quibus prohibetur appellatio ad superiorem judicem ante diffinitivam sententiam, sine justa, & rationabili caussa. Manifeste ergo ostenditur, non agi de citatione coram judice delegato facta, quia si de ea ageretur, & ipse citatus haberet rescriptum prius impetratum, non diceretur appellare ad superiorem, sed declinare judicis citantis jurisdictionem; opposito suo rescripto. Etiam suadetur hæc solutio ex illo vers. *Cum autem*; in quo agitur de appellatione interposita a judice ordinario ante diffinitivam sententiam; quia dictio illa, *autem*, adversativa est, & casum contrarium demonstrat, ut ex pluribus notat Barb. *de dictionibus, verbo Autem.* Cum ergo textus ille non loquatur de duobus rescriptis, non refragatur nostræ assertioni. Pro coronide hujus commentarii notare liceat duas exceptiones, quas præsens assertio patitur. Prima est, si unum rescriptum sit generale, aliud vero speciale; tunc enim necessarium non est, in secundo prioris mentionem facere, *c.* 1. *c. pastoralis* 14. §. *ult. hoc tit. c. dudum* 14. *nos, c. quamstis* 38. *de præb. l.*6. Secunda tunc procedit, quando rescriptum primum ex aliquo vitio nullum est; tunc enim in secundo prioris mentio non desideratur, *c. ex parte* 12. *hoc tit.* non enim præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, ut vulgo decantatur, & docent Menoch. *l.* 2. *de arbitr. casu* 202. *n.* 44. Basil. legion. *l.*8. *de matrim. c.* 16.

Opponi etiam potest præsenti assertioni textus *in c. tenor, de re judic.* cujus interpretationem in ejus notis assignabimus.

CAPUT IV.

Idem *a Eboracensi Archiepiscopo*.

INter *a* ceteras constitutiones tuas fuit propositum coram nobis, quid tenere debeas, cum aliqua sub disjunctione mandantur, quorum unum verum est, alterum falsum; ut puta si proponatur, quod si talis sit Sacerdotis filius, & in Sacerdotio genitus, qui *b* proxime in tali Ecclesia ministravit; vel quod illicite Ecclesiam occupavit *c* eamdem. Huic ergo quæstioni taliter respondetur (judici quodcumque istorum constiterit) illi prælibatam Ecclesiam *d* adjudicare debere: & idem in similibus observandum est.

NOTÆ.

1 *Eboracensis Metropolis ubi.* a *Eboracensi.*) Ita etiam legitur *in* 1. *collect. sub hoc tit. c.* 4. & post Conc. Later. *p.* 1. *c.* 41. Eboracum antiqua, & nobilis civitas est in Britania; ejus meminerunt Ptolomæus *l.* 2. *c.*3. Eutropius *l.*10. & Candenus, qui eam secundam urbem Angliæ appellat, Archiepisc. Sede præclaram, & in ea erat Gentilium Archiflamen, ut refert Polyd. Virgil. *l.*2. *hist. Angliæ, fol.*39. Quomodo autem ejus Ecclesiæ Præsul Metropolitæ Ecclesiastici auctoritatem obtinuerit, discere licet ex Gregorio Magno apud Bedam *l.*1. *c.*25. dum hæc August. quem in Britanniam Apost. miserat: præcipit: *Ad Eboracum civitatem volumus Episcopum mittere, quem ipse judicaveris ordinare; ita dumtaxat, ut si eadem civitas cum finitimis locis verbum Dei receperit, ipse quoque duodecim Episcopos ordinet, & Metropolitano honore perfruatur; quin ei ego quoque (si vita comes fuerit) pallium* tribue-